This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

GL
23
368.6

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER LUCIANUM ET COMICOS GRAECORUM POËTAS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV. M. JULII A. MDCCCLXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

PAULUS SCHULZE

ASCANIUS.

ADVERSARII ERUNT:

H. LANDWEHR, DR. PHIL.
G. WARTENBERG, } SEM. REG. PHIL. SODD. ORDD.
H. HERSEL.

BERLIN 1883.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT,
SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS.

215



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER LUCIANUM ET COMICOS GRAECORUM POËTAS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV. M. JULII A. MDCCCLXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

PAULUS SCHULZE

ASCANIUS.

ADVERSARII ERUNT:

H. LANDWEHR, DR. PHIL.
G. WARTENBERG,
H. HERSEL. } SEM. REG. PHIL. SODD. ORDD.

BERLIN 1883.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT,
SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS.

G1 23.368.6

~~Gl 23.368.6~~

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

G/23.368.6

~~G/23.368.6~~

HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.

Constantius fund

Aemilio Hübnero,

praeceptori carissimo,

sacrum.



Veteres poëtas Lucianus Samosatensis quantopere admiratus sit, ipse testatur, cum Lexiphani, bene dicendi facultatem quo modo acquirat interroganti, legendos proponit poëtarum praestantissimos. In huius enim dial. c. 22. Lycinus, cuius sub persona scriptorem ipsum latere constat, haec dicit: „καὶ πρὸς σὲ τὸ λοιπὸν, ὦ Λεξίφανες, ἡ συμβουλή. εἴπερ ἄρ' ἐθέλεις ὡς ἀληθῶς ἐπαινεῖσθαι ἐπὶ λόγοις κἀν τοῖς πλήθεσιν εὐδοκιμεῖν, τὰ μὲν τοιαῦτα πάντα φεῦγε καὶ ἀποτρέπου, ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ τῶν ἀρίστων ποιητῶν καὶ ὑπὸ διδασκάλοις αὐτοὺς ἀναγνοὺς μέτιθι ἐπὶ τοὺς ῥήτορας“ et paullo infra: „πολλὰ καὶ τῇ καλῇ κωμῳδίᾳ καὶ τῇ σεμνῇ τραγῳδίᾳ ἐγγεγυμνασμένος.“ Poëtarum igitur antiquorum cognitionem qui verae celebritatis quasi fundamentum duxerit, eum ipsum a puero in tractandis eorum carminibus versatum esse probabile est. Ac profecto Lucianus, etsi, origine Syrus, Graecorum sermonem non iam puer addidicerat, adolescens tamen, cum in Asia minore peregrinatus arti rhetoricae operam navare coepisset, una cum rhetorum studiis imbibisse videtur veterum poëtarum et cognitionem et admirationem. Certe ex compluribus, quae adhuc exstant, iuvenis scriptoris declamationibus egregia elucet Homeri reverentia, quam amplioribus verbis expressit in Musc. enc. c. 5, ubi is vocatur: „ὁ μεγαλοφωνότατος τῶν ποιητῶν.“ In Zeux. quoque bis eiusdem poëtae ita mentio fit, ut non minus accurate carmina Homerica tum Lucianum cognita habuisse appareat, quam hominem inter Graecos ipsos educatum.[1]) Quodsi in iis libellis, quos iuvenis scriptor composuit, raro Homeri, tragicorum et comicorum poëtarum nusquam fere mentio inicitur, idem autem iis in dialogis, quos aetate provectior scripsit, passim et epicorum et tragicorum et prae ceteris comicorum imitator evasit, eruditionis, qua Lucianus imbutus est, processu aliquid conclu licebit. Primum enim, ut consentaneum est, Homeri, Hesiodi, epicorum carmina lectitavit; deinde magis magisque a rhetori avertens lyricis et tragicis poëtis cognoscendis operam dedit cum non rhetoricae solum, sed etiam philosophiae repud

[1]) cf. Zeux. capp. 2 et 10.

festivissimus comicorum imitator exstitit; quorum indole et ingenio fuit simillimus.

Ac de Luciano veterum poëtarum imitatore haud ita multa a viris doctis ad hunc diem prolata sunt. Nonnulla enim huc pertinentia in editionis suae adnotationibus, quam in scholarum usum fecit, Sommerbrodtius collegit;[2]) aliquanto plura eius generis addidit Fr. V. Fritzschius. Qui vir doctus, optime de Luciano meritus, in eo apparatu, quo huius scriptoris librorum partem instruxit,[3]) non solum singulos locos diligenter perlustravit, quibus poëtae alicuius versum Lucianus denotasse videtur, verum etiam de fontibus satiricorum dialogorum et argumentis subtiliter nonnulla indagavit.[4]) Atque idem vir doctissimus paucis locis diserte pronuntiavit, veteris et novae potissimum comoediae poëtas Lucianum accurate cognitos habuisse; sed continua commentatione eam sententiam usque ad hunc diem non fulsit. Ne Schwidopii quidem observationum Lucianearum specimina V,[5]) etsi perite composita sunt, ulla ex parte affluentem rerum copiam exhauserunt. Cum enim iam in III. spec. et in iis, quae insecuta sunt, ad emendanda Luciani scripta criticamque artem exercendam autor se converteret, in superioribus commentt. per ipsas spatii angustias nihil aliud fieri potuit, nisi ut multi et poëtarum et aliorum scriptorum loci cum Luciani verbis eis similibus componerentur. Uberius autem „de Luciano veterum poëtarum imitatore et iudice" exposuit Em. Ziegelerus.[6]) Qua in dissertatione per VI capp. multos Luciani locos auctor collegit, quibus poëtae alicuius imitatio, sive in vocabulorum usu, sive in locutionibus sive in sententiis conspicua esset. Sed cum latiores, ut ita dicam, fines Ziegelerus perscrutandos sibi proposuisset, fieri non poterat, quin permulta obiter tantum et in transcursu tractarentur. Quo factum est, ut cum epicorum, tragicorum, comicorum locos, quos quidem Lucianus imitatus est, deinceps enumeraret, neque ii loci singillatim perquirerentur, quibus poëtae alicuius verba ante oculos se habuisse Lucianus ipse indicaret, neque singula, quibus ille utitur, imitandi genera satis distincte secernerentur.

Quare operae pretium mihi esse videbatur, peculiari disquisitione colligere et perpendere ea, quae de comicorum poëtarum apud Lucianum imitatione cum probabilitate statui possunt. Hos enim, ut

---

Luciani scripta selecta, III tom. Berol. 1872—78, edit. sec.
Luc. Samos. rec. Fr. Fritzschius, III voll. Rostoch. 1860—82.
cf. commentt. de Luc. Timone et de Necyomantia, prolegom. ad et 2.
m. gymnas. Kniphof. Regimont. 1848—72.
Gotting. 1872.

erat satiricus, multo frequentius ille imitatuse st, quam ullos alios scriptores. Quod ut planius cognoscatur, in universum quaerendum est, quaenam ratio intercesserit inter hunc scriptorem et veteres Graecorum poëtas comicos.

Bipertita igitur disputandi materia; primum statuendum erit, quosnam comicae poëseos artifices et quas eorum fabulas Lucianum legisse vel ex ipsius verbis effici possit vel testimoniis aliunde repetitis. Altero loco de ipsis comicos illos imitandi rationibus verba facienda erunt. Etenim utraque demum quaestione absoluta plane iudicari poterit, quam multis in rebus Lucianus a comicorum exemplis pependerit.

Priusquam autem ad rem ipsam accedo, unum praemonendum est, quod ad totius disputatiunculae rationem fructum aliquem afferre videtur. Noverat enim hic scriptor, noverat non modo pantomimos — id quod docet libellus de saltatione compositus — sed etiam nobiliora scenicae actionis instituta ac genera. Audiamus ipsius, quae huc spectant, testimonia! In Nigr. c. 8. de malis histrionibus, qui quidem praestantiam fabularum, in quibus partes quasdam susceperunt, suis ineptiis detrudunt, hunc in modum Lucianus ex amico sciscitatur: „ἤδη τραγικοὺς ἢ καὶ νὴ Δία κωμικοὺς φαύλους ἑώρακὰς ὑποκριτάς, τῶν συριττομένων λέγω τούτων καὶ διαφθειρόντων τὰ ποιήματα καὶ τὸ τελευταῖον ἐκβαλλομένων, καίτοι τῶν δραμάτων πολλάκις εὖ ἐχόντων τε καὶ νενικηκότων;“ Similiter in Gall. c. 26 legitur: εἶτ' ἐπειδὰν πέσωσι (sc. οἱ πλούσιοι μυρίοις κακοῖς ξυνόντες) ὅμοιοι μάλιστα φαίνονται τοῖς τραγικοῖς ὑποκριταῖς . . . . . ἦν δὲ, οἷα πολλὰ γίγνεται, κενεμβατήσας τις αὐτῶν ἐν μέσῃ τῇ σκηνῇ καταπέσῃ, γέλωτα δηλαδὴ παρέχει τοῖς θεαταῖς τοῦ προσωπείου μὲν συντριβέντος αὐτῷ διαδήματι, ᾐμαγμένης δὲ τῆς ἀληθοῦς κεφαλῆς τοῦ ὑποκριτοῦ“ et q. s.; praeterea in Icarom. c. 29 de philosophis: „ τὰς ὀφρῦς ἐπάραντες καὶ πώγωνας ἐπισπασάμενοι περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι μάλιστα ἐμφερεῖς τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν, ἦν ἀφέλῃ τις τὰ προσωπεῖα καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολήν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον ἀνθρώπιον“ et q. s. Quae omnia verba ita comparata sunt, ut dubitari nequeat, quin scriptor ipse scenicas actiones diligenter spectare et adire solitus sit. Addo duos alios locos ad eandem opinionem stabiliendam; quorum unus exstat in l. de hist. consc. c. 4, alter in Icarom. c. 9. Utroque enim loco scriptor iocatur de mutis comoediae personis, quae vocant „δορυφορήματα. Accedunt multae locutiones apud Lucianum profectae ex usu scenico; quas Sommerbrodtius collegit in Scenic. p. 196 et 202.[1]) Quibus

[1]) Scenica scr. J. Sommerbrodt, Berol. 1875.

locis affatim demonstratur, expertum Lucianum dicere de scenicis actionibus deque histrionum et ornatu et apparatu. Etenim, quamquam iam primo imperatorum saeculo inter Romanos tragoedia et comoedia coeperant obmutescere et Atellanarum procacitate magis magisque cohibita una in teathris dominabatur pantomimorum ars,[8]) inter Graecos tamen, unde profectae essent, et tragoedias et comoedias quasdam etiam tum doceri solitas esse, ex ipsius Luciani verbis suspicor. Hoc quidem libenter Madvigio[9]) concedo, veteris comoediae fabulas, quippe quae cum Atheniensium disciplina et antiquo Bacchi cultu artissime coniunctae essent, iam multo ante Luciani aetatem scenam non tenuisse; sed de ceteris scenicae poëseos generibus idem iudicari nequit. Immo, cum huius scriptoris quae attuli verba mea quidem opinione ad solos pantomimos referri non possint, ne tum quidem tragoedias, fortasse Euripideas, et novae potissimum comoediae fabulas doceri desitas esse contenderim.

Sed haec universe dicta sunt, ut appareret, fieri potuisse, ut non legendo solum, sed etiam spectando quasdam veterum poëtarum fabulas Lucianus cognitas haberet. Nunc accedam ad singula.

Cap. I.

In tali quaestione, qualem tractandam mihi proposui, maxime id agendum est, ne quid neglegatur, quod aliqua ex parte ad rem aperiendam possit conducere. Quare totius disputatiunculae ordinem ita instituam, ut primum exponam, quos poëtas comicos nominatim Lucianus dixerit quidque de his poëtis ei notis ipse tradiderit; deinde explorabo, an praeter illos, quos ipso nomine significaverit, alios comoediarum scriptores Luciano cognitos fuisse probabile sit et quasnam eorum fabulas is legisse putandus sit.

Ac primum quidem vetustissimus omnium poëta comicus, quorum notitiam Lucianus habuisse videatur, credi possit fuisse is, qui veteris comoediae tum primordia viderit, tum incrementa et summam perfectionem, Cratinus. In „Longaevis" enim, qui libellus sub Luciani nomine circumfertur, haec verba leguntur:[10]) „Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κω-

[8]) cf. Sommerbr: de triplici pantomimorum genere, in Scenic. p. 35.
[9]) cf. Madvig: Script. min. Lips. 1875, p. 476.
[10]) Longaev. c. 25.

μφδίας ποιητής, ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα." At praeterquam quod ex his verbis ad solam Cratini vitam et victoriam spectantibus effici non potest, an Lucianus re vera legerit nobilem illam comoediam, cui auctor inscripserat „Πυτίνη", hic locus ad nostram quaestionem documento esse omnino nequit. Recte enim viri docti, imprimis Bekkerus et Dindorfius,[11]) illum libellum satis ieiune et exiliter scriptum pseudolucianeis adnumeraverunt.

Inter eos poëtas comicos, qui Aristophani aequales fuerunt, tribus locis unus a Luciano ipso nomine vocatur Eupolis. Afferendi enim sunt hi loci: In „Bis accus." c. 33 Dialogum scriptor haec Syro fingit obicientem: „εἶτα εἰς τὸ αὐτὸ φέρων συγχαθεῖρξε τὸ σκῶμμα καὶ τὸν ἴαμβον καὶ τὸν κυνισμὸν καὶ τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην, δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάσαι τὰ ὀρθῶς ἔχοντα;" deinceps in „Piscat." c. 25. Diogenes accusator haec profert: ὥσπερ ἀμέλει καὶ πάλαι ἔχαιρον Ἀριστοφάνει καὶ Εὐπόλιδι Σωκράτην τουτονὶ ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας." Tertius locus exstat in l. „Adv. indoct." c. 27: εἰπέ μοι, καὶ Αἰσχίνου τὸν κατὰ Τιμάρχου λόγον ἀναγιγνώσκεις; ἢ ἐκεῖνά γε πάντως οἶσθα καὶ γιγνώσκεις αὐτῶν ἕκαστα, τὸν δὲ Ἀριστοφάνην καὶ Εὔπολιν ὑποδέδυκας; ἀνέγνως καὶ τοὺς Βάπτας τὸ δρᾶμα ὅλον;

Id igitur, quod primo loco posui, Luciani iudicium de Eupolide et Aristophane prolatum universe significat cavillandi, qua illi maxime insignes erant, acerbitatem. Contra altero illo loco ad certas utriusque poetae comoedias alluditur; quas sine dubio Lucianus legerat. Tertio denique loco celeberrima Eupolidis fabula: „Βάπται" commemoratur. Hoc autem apparet, Eupolin, ubi ipso nomine a Luciano significetur, coniunctum esse cum Aristophane. Qua ex re perspicuum est, apud illius aetatis homines eruditos tam arte copulatam fuisse veterum illorum memoriam, qui, et aetate et componendi artificio fere pares, ad summam perfectionem inter Athenienses comoediam conformassent, ut, ubi de antiquae comoediae mordacitate ageretur, alter vix nominari posse videretur, nisi addito nomine alterius. Ac Romanorum potissimum scriptores eorum poëtarum nomina una commemorare solitos esse, adiecto Cratino, qui tertius erat inter veteris comoediae principes, testes sunt Horatius, Persius, Quintilianus.[12])

Haec de Eupolide; nec frequentius apud Lucianum unius Aristophanis mentio inicitur. Etenim cum praetermittendus sit dialogus

---

[11]) cf. Sommerbr. praef. ad scr. sel. tom. I p. 19 sq.

[12]) Hor. serm. I 4. v. 1, Pers. sat. I v. 123, Quint. inst. or. X 1. 65.

Φιλόπατρις, quem insulsissimum inepti homuncionis opus esse, quod nemo sine fastidio et nausea perlegat, Cobetus in Var. lectt.[13]) p. 217 non sine iniuria iudicavit, restat unus locus Lucianeus multo gravior mea quidem opinione, quam quos supra laudavi. In I. de ver. hist. l. c. 29. cum alia mirabilia enarrantur, tum id, per aëra et caelum sublatos in itinere conspexisse fabulosam urbem „Νεφελοκοκκυγίαν". Cui narratiunculae haec verba a scriptore adduntur: „καὶ ἐγὼ ἐμνήσθην Ἀριστοφάνους τοῦ ποιητοῦ, ἀνδρὸς σοφοῦ καὶ ἀληθοῦς καὶ μάτην ἐφ' οἷς ἔγραψεν ἀπιστουμένου." Atque his ipsis verbis expressa mihi videtur vera Luciani de comicorum principe sententia. Neque enim ironice illud „σοφὸς καὶ ἀληθής" dici potuit de eo poëta, quem multifariam, id quod infra apparebit, imitando Lucianus expressit.

Ex mediae, quam vocant, comoediae poëtis nomine apposito unus a Luciano commemoratur Alexis, loco difficultatibus non vacuo. Sic enim in l. pro Laps. int. salut. c. 6 legitur: „πολὺ δ' ἂν καὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ καὶ ἐν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ εὕροις τὸ ὑγιαίνειν πρῶτον εὐθὺς λεγόμενον"; tum Homeri quaedam verba afferuntur, quae insequitur hoc:

„ὁ δὲ Ἄλεξις· „ὦ δέσποθ', ὑγίαιν', ὡς χρόνιος ἐλήλυθας."
ὁ δὲ Ἀχαιός· „ἥκω πεπραγὼς δεινά, σὺ δ' ὑγίαινέ μοι."
καὶ ὁ Φιλήμων· „αἰτῶ δ' ὑγίειαν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν,
τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί."

Quo in cap. non solum temporis ordo conturbatur, cum Alexis collocatur ante Achaeum, sed etiam cum mediae comoediae principe ita componitur Philemo, ut uterque poëta adnumeretur „τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ." Quare examinandum est, quonam sensu Lucianus hoc loco vocabulum „ἀρχαῖος" posuerit.

Primum enim liquet, scriptorem, cum et Alexin et Philemona subiungeret „τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ", nullam omnino rationem habuisse eius discriminis, quod inter tria comoediae genera statuerant grammatici; qui quidem, si consulto veterem, mediam, novam comoediam inter se opponebant, ad primum genus significandum modo vocabulo παλαιός utebantur, modo ἀρχαῖος.[14])

Deinde dubium esse nequit, quin latiorem notionem huic vocabulo Lucianus subiecerit idque ea ratione usurpaverit, ut ἀρχαῖα non antiquissima quaeque diceret, sed universe omnia longiore temporis intervallo ab ipsius aetate disiuncta. Atque haec sententia eo fulcitur,

---

[13]) Var. lectt. scr. Cobet. ed. sec; Lugd. Bat. 1873.

[14]) cf. testimonia ap. Meinek. in epim. II. ad hist. com. Graec. crit. p. 531 sqq.

quod in eodem libello (pro laps. int. salut.) c. 7. et 8. pauca de salutandi consuetudine „τῆς ἀρχαίας ἱστορίας“ sese adlaturum pollicitus ad Eumenem Cardianum provocavit et Dionysodorum (cf. c. 10), eum, qui Ptolemaei, Lagi filii, epistolas collegit. Certe hoc quoque loco non vetustiores, sed recentioris aetatis quos dixi historici vocabulo ἀρχαῖος significantur.

Quod autem Achaeus, poëta tragicus et aetate Alexide multo superior, eidem comico postponitur, apud Lucianum offensioni esse non potest; qui quidem in enumerandis scriptoribus temporis seriem haud raro neglegit. Ut in l. de conscr. hist. c. 57, ubi Homericae poëseos elegantiae opponitur Alexandrinorum poëtarum tumor, ita Parthenius, Euphorion, Callimachus coniunguntur, ut, qui aetate inferior sit, Parthenius, illis multo ante florentibus praeponatur. Qua re expedita accedo ad aliud.

Inter novae comoediae poëtas Lucianus nominatim memoravit Philemona eo loco, quem supra attuli, et Menandrum in Pseudol. c. 4. Quem ad locum Bentleius monuit, Ἔλεγχον non fabulae nomen, sed Prologum sub dei persona ab Elencho declamatum fuisse.[15]) Sed utut haec res sese habet, dubium non est, quin fabulam illam Menandream, in qua Elencho partes quaedam mandatae erant, Lucianus cognitam habuerit.

Praeter hos poëtas clarissimos alius comicus a Luciano memoratur, Lysimachus, genere Boeotus et sinceri atticismi captator avidissimus; de quo aliunde nihil traditum accepimus, nisi quod scholiasta de eo tanquam noto sibi poëta loquitur[16]), hunc initium fecisse dicens literae σ commutandae in τ. Quamquam ex aliorum scriptorum silentio effici non debet, illius nomen Lucianum suopte ingenio commentum esse; immo dubitari non poterit, quin huius quoque poëtae vel unam vel complures fabulas ille legerit admodum integras.

Paucissimos igitur poëtas comicos nomine apposito Lucianus appellavit, dico hos: Eupolin, Aristophanem, Alexin, Philemona, Menandrum, Lysimachum. Inter quos veterum illorum comicorum ita mentio fit, ut illudendi, qua maxime vigebant, mordacitas vel ex brevibus huius scriptoris verbis conspicua sit et imprimis Aristophanes, utpote vir sapiens, laudibus efferatur. Ex Alexidis autem et Philemonis comoediis ei notis versiculos quosdam Lucianus attulit; Menandrum et Lysimachum ita in partes vocavit, ut ad unius Prologum notissimum respiceret, proprietatem sermonis denotare

---

[15]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 307.

[16]) cf. Iudic. vocal. c. 7 et schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 41.

alterius. Sed ex tanta nominum paucitate consectarium non fit, praeter eos, quos nominatim significaverit, non alios poëtas comicos Luciano cognitos fuisse; immo aliunde, quae eodem pertinent, elicere debemus.

Duplices autem, quo haec statuantur, fontes habemus; primum certarum comoediarum significationes, quas Lucianus scriptis suis inseruit; deinde comicorum versiculos ab hoc scriptore in suum usum ascitos. Quibus tertium fontium genus adiungere quis possit, eas dico scholiastae Lucianei adnotationes, quibus ad comici alicuius poëtae fabulam provocatur. At his quid ponderis insit, infra exponam.

Ac primum quidem eos locos examinabo, quibus certae comoediae ita a Luciano significantur, ut dubitari nequeat, quin argumenta earum scriptori haud ignota fuerint. Ex solis enim, quas adfert ille, comoediarum inscriptionibus nihil consequitur nec licet ita ratiocinari, ut dicatur, quia „Μαλθάκην" et „Θαΐδα", notarum fabularum titulos, adhibuerit, has comoedias Lucianum penitus cognitas habuisse. Quaerendum potius est, quonam sententiarum conexu et quo consilio comoediarum illarum argumenta Lucianus denotaverit. Exordiar igitur ab Eupolide.

Ille enim locus, quem supra attuli[17]) ex l. adv. ind. c. 27, ita comparatus est, ut argumentum eius fabulae, quae „Βάπται" inscripta erat, Luciano notum fuisse putandum sit. Quod si negatur, intellegi nequit, quo consilio scriptor, cum huius comoediae titulum nuncuparet, haec verba adiecerit: „εἶτ' οὐδέν σου τἀκεῖ καθίκετο οὐδ' ἠρυθρίασας γνωρίσας αὐτά;" Scivit sine dubio hic scriptor, Cottytiorum sacrorum turpitudinem, quae Alcibiades eiusque socii nocturnis conviviis flagitiisque celebrarent, Eupolidem ea in fabula esse insectatum.[18])

Controversum autem est, quam Eupolidis comoediam Lucianus subintellexerit, cum in Piscat. c. 25 spectatores delectatos esse scriberet Socrate per Eupolin et Aristophanem in scenam producto. Etenim ex ipsius sciptoris verbis: „τουτονὶ (sc. Σωκράτη) ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας" non elucet, utrum de peculiari Eupolidis comoedia Lucianus cogitaverit necne. Certe ex eo, quod legitur „ἀλλοκότους τίνας κ." posito numero plurali, concludere non licet, exstitisse illa aetate fabulam Eupolideam ad unum Socratem perstringendum compositam. Itaque alia testimonia conquirenda sunt. Atque peropportune accidit, quod in scholiis ad Nub. Arist. v. 96., ubi ex incerta Eupolidis comoedia

---

[17]) cf. p. 8.

[18]) cf. hist. crit. p. 121.

nonnulli versus afferuntur[19]), hoc adnotatum reperitur: „ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωπράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο." Valde autem probabilis est coniectura Bergkii, qui[20]) quidem metricas rationes respiciens, non peculiari fabula Socratem ab Eupolide derisum fuisse iudicaret, sed iocis per occasionem sparsis, quos ille intexuisse videtur parabasi „Adulatorum". In hac enim eodem metro Eupolis usus erat, atque in verss. illis a scholiasta Aristoph. servatis. Atque cum de Eupolidis cavillamentis in Socratem versis aliunde nihil traditum sit, nullus dubito, quin fabulam illam Eupolideam maxime in Calliam eiusque adsentatores compositam Lucianus eo Piscat. loco subintellexerit.

Jam pergo ad Aristophanem. Atque hic quoque exordiendum est a Piscat. c. 25. Neque enim dubium est, quin Lucianus, cum de Socrate per Aristophanem in scenam producto loqueretur, ante oculos habuerit huius poëtae „Nubes". Quae sententia aliunde fulcitur. In eo enim libello, qui inscribitur: „Πρὸς τὸν εἰπόντα· Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις,"[21]) de comoediae cavillatione haec dicuntur: „τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε (sc. ἡ κωμῳδία) φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα" et paullo infra: „ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα καὶ νεφέλαις ξυνόντας, ἄρτι δὲ ψύλλων πηδήματα διαμετροῦντας, ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους." Etenim hoc quoque loco Lucianus allusit ad Aristophanis „Nubes", id quod scholiasta[22]) (sed non satis distincte) significavit, cum ad vocabulum „μετεωρολέσχης" adnotaret, sic Aristophanem dicere in „Nubibus"; neque enim „μετεωρολέσχαι" ibi vocantur, sed „μετεωροφένακες" et „μετεωροσοφισταί".[23]) Ac meo quidem iudicio Lucianus ad verbum Aristophanem hoc loco exprimere noluit, voluit leviter tantum illius versus attingere; id quod scholiasta non intellexit, confirmatur autem verbis „ψύλλων πηδήματα". Etenim ne his quidem Aristophanes usus erat, sed is scripserat v. 831. „ψύλλων ἴχνη". Id vero infitiās ire nemo poterit, denotari a Luciano Socratem eiusque sectatores, quos illa in comoedia, ut aërivagos ac de rebus et caelestibus et minutis inaniter garrientes, Aristophanes induxerat.[24]) Atque eadem fabula celeberrima Luciano obversata est, cum in „Bis accus." c. 33 Dialogum querentem faceret, unius Syri opera pristina dignitate sese esse orbatum, antea „σεμνὸν ὄντα καὶ θεῶν τε περὶ καὶ

[19]) cf. Meinek. fragm. com. Graec. vol. II. pars 1. p. 552.
[20]) cf. Bergk. comment. de reliqu. com. Attic. ant. p. 355.
[21]) cf. c. 6.
[22]) ap. Jacob. p. 38.
[23]) cf. Meinek. edit. vol. I. v. 333 et 360.
[24]) cf. Meinek. edit. I. v. 225. 359. 1503.

φύσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων περιόδου σκοπούμενον, ὑψηλὸν ἄνω που τῶν νεφῶν ἀεροβατοῦντα."

Nec minus plane notas sibi fuisse Lucianus significavit illius poëtae „Aves". Ubi enim fabulosam illam urbem, Νεφελοκοκκυγίαν, descriptam invenerat, quam commemoravit in I. de ver. hist. c. 29.? Certe eo loco, ut supra dixi, ipsum Aristophanis nomen addidit; ut dubitatio non resideat, unde miraculi illius notitiam hic scriptor hauserit.

Reliquum est, ut exploretur ad mediae et novae comoediae poëtarum fabulas an ita Lucianus alluserit, ut argumenta earum perspecta habuisse putandus sit. Quod cum probalitate affirmaverim de Menandri „Colace". In Fugitiv. enim c. 19 illi pseudophilosophi blandiendi impudentia superasse dicuntur „τὸν Στρουθίαν ἢ τὸν Γναθωνίδην." Cum enim Struthias ille parasitus nulli, quod sciamus, poëtae comico irridendi materiem praebuerit, nisi uni Menandro, cuius ex Colace Terentius mutato nomine hanc personam in „Eunuchum" transtulit, ad Menandream illam fabulam Lucianum hoc loco respexisse contenderim. Gnathonis autem parasiti nomen, unde Lucianus derivavit illud „Γναθωνίδης", ambiguum est, a quo poëta repetitum sit.[25])

Praeterea Antiphanis „Malthacen" et „Thaïda" Menandri huic scriptori non ignotas fuisse, ex Rhetor. praec. c. 12. conicio. Ibi enim molliculo isti magistro probro datur, quod meretriciis artibus iuvenes soleat irretire. Atque ipsa Luciani verba haec sunt: „ὁπομειδίασας τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλὸν οἷον εἴωθεν, Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ προσηνεῖ τοῦ φθέγματος." Illecebras igitur diffamatas, quibus nixae istae meretriculae amatores solebant illaqueare, facete Lucianus vindicavit illi rhetorum praeceptori. Cum autem idem scriptor — id quod apparet ex dialogis meretriciis — in scortorum moribus describendis operam collocaverit, nullus dubito, quin hoc loco illustrissimas illas Antiphanis et Menandri comoedias denotaverit, quippe quas cognitas haberet.

Sequitur, ut ii comicorum versus sub examen vocentur, qui Luciani scriptis — haud ita frequentes — intexti sunt. Quo ex numero supra attuli, quibus auctoris nomen ab hoc scriptore additum est. Restant autem alii versus ἀνωνύμως positi. Saepius enim apud Lucianum comicorum quidam versiculi proponuntur praemissis hisce verbis: „ὡς ὁ κωμικός" sive „κατὰ τὸν κωμικόν". Ambiguum igitur videatur, utrum ille unum poëtam κατ' ἐξοχήν vocaverit „τὸν κωμικόν," an quoslibet alios poëtas comicos eodem vocabulo significaverit. Plerumque enim illius nominis honore apud veteres scriptores

[25]) cf. Fritzsch. adnot. ad h. l., in edit. a. vol. II. p. 251 sq.

ornatus est Aristophanes; interdum autem eximie „ὁ κωμικός“ dictus est Menander; id quod apparet ex Eustathii aliorumque recentiorum testimoniis.[26]) Versus autem comicorum illis verbis praemissis Lucianus citavit hosce: Musc. enc. c. 11: „ἡ Μοῦσα ἔδακνεν αὐτὸν ἄχρι καρδίας“; Jup. trag. c. 32: „ἄγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων;“ ibidem c. 38: „τουτὶ μὲν ὑπομόχθηρον, ἄλλο μοι λέγε.“ Hic in enumerandis versibus subsistam. Etenim per se hi versiculi et Aristophanis esse possunt et Menandri; sed propter sententiae levitatem et mansuetudinem a Meinekio[27]) inter incertas Menandri fabulas relati sunt; ac mea quidem opinione probabiliter. Ut autem res proposita expediatur, alii versus tres respiciendi sunt. In dial. enim „Prom. es in verb.“ c. 2. legitur: „μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγοις εἶναι, ὡς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνα· φησὶ δὲ, οἶσθα, περὶ αὐτοῦ: „Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα“. Quem trimetrum magna cum probabilitate referunt ad Eupolin, qui ipse in comoedia „χρυσοῦν γένος“ Cleonem deriserat. Certe ipso argumento hic versus cognatus est iis, quos ex eadem Eupolidis fabula Meinekius collegit in hist. crit. p. 145. sq. Menandro autem hunc versiculum attribuere probabilitatis specie caret. Etenim nova comoedia, etsi non prorsus inter privatae vitae quasi parietes inclusa erat, rei publicae perturbationes et conversiones magis dolebat, quam castigabat. Quod autem gravissimum est, nulla exstant testimonia, quibus novae comoediae poëtae conviciis proscidisse tradantur vel eos viros, qui, cum vulgi imperium Athenis florere inciperet, comicorum acerbitatem experti erant, Cleonem dico, Hyperbolum, Alcibiadem. Quare Menandro ille versus abiudicandus est; Aristophanes autem an Eupolis eum fabricaverit, in dubio relinquitur.

Accedit alius locus in Nigr. c. 7, ubi haec leguntur de illo philosopho: „κατὰ τὸν κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι“. Quibus in verbis facile agnoscitur ille Eupolidis versus Periclis facundiam sic laudantis: „τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις“. Etenim hic poëta egregiis laudibus Periclis eloquentiam extulerat in comoedia „Δῆμοι“, in qua veteris rei publicae propugnatores, Solona, Miltiadem, Aristidem, Periclem ab inferis resuscitatos in scenam produxerat.

Denique illud „ὁ κωμικός“ in Jov. trag. c. 53. huic versui praefixum est: „οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ;“ qui disceptari omnino nequit, cui auctori accensendus sit.

Ex his, quae attuli, apparet, bis apud Lucianum praemissa

---

[26]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 201 et 325.

[27]) cf. Mein. fragm. com. Graec. IV. p. 653.

formula „ὡς ὁ κωμικός“ ea verba citari, quae cum probabilitate neque ad Aristophanem referantur neque ad Menandrum, sed ad unum Eupolidem.[28]) Porro elucet, alium versum incertae originis iisdem verbis praefixis a Luciano afferri. Atque hoc illud est, quod suspicionem mihi movet et ad eam sententiam me adducit, ut nullum poëtam κατ' ἐξοχήν a Luciano dictum esse contendam „τὸν κωμικόν“, sed hoc nomen ab eo omnibus iis comicis tributum esse, quorum certae fabulae etiam Luciani aetate essent percognitae. Neque quidquam obstat, quominus, id quod supra significavi, existimemus, Lucianum ut Menandri eiusque aequalium comoedias spectando, ita legendo cognitas habuisse nonnullas fabulas et Eupolideas et Aristophaneas.

Restat, ut tertium illud fontium genus adeamus, quod praebere videantur scholia. Accuratius enim eae scholiastae Lucianei adnotationes rimandae sunt, quibus ad comici alicuius exemplum provocatur. In Alex. c. 4. de mendaci illo vaticinatore haec scripta inveniuntur: „τῶν ἐπὶ κακίᾳ διαβοήτων ἀκρότατος ἀπετελέσθη ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον ἢ Σώστρατον.“ Quem ad locum sic scholiasta adnotat:[29]) „οὗτοι (sc. οἱ Κέρκωπες) ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος .... ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις“ et paullo infra de Aristodemo: „ὁ Ἀριστόδημος δὲ μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν, ἀφ' οὗ καὶ ὁ πρῶκτος Ἀριστόδημος καλεῖται. Κρατῖνος Πανόπταις. Ἀριστόδημος ὡς ἀσχημονῶν ἐν τοῖς Κιμωνίοις ἀνὴρ ἐρειπίοις.“ At ex his verbis certi quidquam enucleari nequit ad eam quaestionem absolvendam, an re vera Lucianus Cratini comoedias a scholiasta prolatas perlegerit. Ita enim res sese habet. Illusit sine dubio Cratinus — id quod scholiasta diserte testatur — et Cercopes et Aristodemum, ut homines nefarios et dolosos. Sed neque Cercopes, versuti illi fraudatores, neque Aristodemus, effrenatae libidinis homo, uni Cratino ludibrio fuerunt; immo aliis quoque poëtis vellicandi materiam suppeditaverant.[30]) Ac Cercopas quidem „parasitorum et alapistarum quasi proavos“ in proverbium abiisse luculenter apparet ex Lobeckii commentatione „de Cobalis et Cercopibus“.[31]) Quare causa non est, cur, quae brevissime Lucianus de iis memoraverit, ea referantur ad unum Cratinum. Neque aliter de ea scholiastae adnotatione iudico, quae exstat ad Tim. c. 30. In hoc enim capite Plutus, quod iterum ad Timonem sibi redeundum sit, in-

---

[28]) cf. Prom. es in verb. c. 2, Nigr. c. 7.
[29]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 139 sq.
[30]) cf. Mein. vol. II. p. 1045.
[31]) cf. Lob. Aglaoph. p. 1296 sqq.

dignatus, haec ad Mercurium dicit: „ἐπεὶ ἦν γε ἀπολίπῃς με, Ὑβερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν. Quodsi scholiasta copiosius exponens de Hyperbolo et Cleone per comicos irrisis Cratini quoque mentionem facit, quippe qui Hyperbolum acerbitatis aculeis perstrinxerit in „Horis", ne id quidem, etsi per se verum, ad hanc quaestionem ullius momenti est, quoniam — id quod scholia ipsa confirmant — illum virum in re publica Atheniensium clarissimum et Aristophanes et Plato et prae ceteris, ut docet Meinekius,[32]) Eupolis virulenta acerbitate exagitaverant. — Restat locus ille in Vitar. auct. c. 16, ubi Socrates deorum nomina attestari veritus hocce iurat iusiurandum: „καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν." Ad haec enim verba scholiastes sive e schol. Plat. p. 331 sive e Photio p. 481 adscripsit hoc: „Ῥαδαμάνθυος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἢ τινος ἄλλου τοιούτου"; quibus verbis versiculos quosdam Cratini addidit ex „Cheironibus", qui ita Bergkio[33]) scribendi videbantur:

. . . . . „οἵοιν ἦν μέγιστος
ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων,"

a Fritzschio[34]) autem hunc in modum restituti sunt:

. . . . . „οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δὲ παντελῶς ἐσίγων."

Sed sive Fritzschii emendatio approbatur, sive — id quod mihi multo probabilius visum est — Bergkii maxime ad scholiastae verba: „οἷς (ἦν addidit Jacobitius) μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων, adaptata recipitur, id ad nostram quaestionem nihil facit. Etenim ex adnotatione scholiastae effici nequit, Lucianum, cum sollemne illud iusiurandum denotaret, ante oculos habuisse versus illos Cratineos. Quare ex iis, quae in scholiis de Cratini comoediis adnotata inveniuntur, nullo modo comprobari potest, ullam huius poëtae comoediam Lucianum cognitam habuisse. Quae res eo minus mira videbitur, quod vetusti illius comici fabulas ne Alexandrinorum quidem aetate omnes superstites erant, nedum Luciani saeculo eas plures integras exstitisse credibile sit.

Venio nunc ad eas scholiastae adnotationes, quae et ad Eupolideas comoedias spectant et ad Aristophaneas. Illius enim poëtae fabulae memorantur hae: „Ἀστράτευτοι" et „Δῆμοι,[35]) in quibus Phry-

---

[32]) cf. hist. crit. p. 188.
[33]) cf. Comment. de reliqu. com. Attic. aut. p. 232.
[34]) cf. Fritzsch. adnot. ad Vit. auct. c. 16, vol. II. p. 59.
[35]) cf. ap. Jacob. vol. IV. p. 140.

nondam, „Πόλεις,[36]) qua in comoedia scholiasta teste auctor Hyperbolum illusit. Ex Aristophaneis fabulis hae afferuntur: „Ἀμφιάραος", „Προαγών", „θεσμοφοριάζουσαι";[37]) in quibus eundem Phrynondam ille increpuisse fertur, quem Eupolis perstrinxerat in „Δήμοις". Praeterea scholiasta provocat ad „Γηρυτάδην",[38]) qua in comoedia Agatho, comptus ille et molliculus poëta tragicus, Aristophani ludibrio fuit. Porro commemorantur eiusdem poëtae „Ἱππεῖς,[39]) Ἐκκλεσιάζουσαι, Σφῆκες";[40]) quibus in fabulis Ariphradem, Hyperbolum, Calliam derisos fuisse scholiasta adnotat. Sed si neglectis scholiis contemplabimur quae in dialogis suis de Phrynonda, Hyperbolo, Ariphrade, Callia Lucianus ipse tradidit, facile apparebit, hos omnes viros, vel in re publica Atheniensium vel ex comoediis ipsis pernotos, tam breviter tamque generaliter abhoc scriptore commemorari, ut, cum exempli gratia Calliam diceret „μειράκιον ἀχόλαστον", famam magis de iis pervulgatam ille secutus esse putandus sit, quam certam unius poëtae comoediam. Ad nostram igitur quaestionem absolvendam ne ex illis quidem scholiastae adnotationibus fructus quidquam redundabit.

Ac ne de **Phrynicho** quidem et **Platone**, quos sese legisse in libris ipsis nullo loco Lucianus indicat, certi quidquam elici poterit ex scholiis. Quod apparet ex ea scholiastae adnotatione, quae exstat ad. l. pro merc. cond. c. 21. Ibi enim miselli isti paedagogi, qui e Graecia Romam migrabant frequentissimi, iis cum hominibus comparantur, quibus contraria semper obtingunt iis, quae ipsi concupiscunt, ut sensim ad deterius eorum res delabantur. Tum insequitur hoc: „καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν, ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα." Quod proverbium, ut ex schol. Barocc. et Marc. cognoscitur,[41]) Plato commemoraverat in „Δὶ κακουμένῳ." Fuit autem idem proverbium pervulgatum, id quod docent Zenobius et Alciphro.[42]) Quapropter non est, cur e Platone, poëta comico, Lucianum id sumpsisse putemus. Id enim in scholiis non traditur, an Platonis verba eadem fuerint, atque Lucianea.

Mediae et novae comoediae poëtarum fabulae in scholiis nullae memorantur. Id autem satis demonstrasse mihi videor, scholiastae Lucianei adnotationes, de quibus modo dixi, etsi per se

[36]) ibid. p. 47.
[37]) ibid. p. 140.
[38]) ibid. p. 222.
[39]) ibid. p. 335.
[40]) ibid. p. 47 et 170.
[41]) cf. schol. ap. Jacob. IV p. 112.
[42]) cf. Fritsch. ad h. l. in vol. I part. 2, p. 170.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάις“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam gravioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem iudicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi δραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „λαττατταιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

quod in eodem libello (pro laps. int. salut.) c. 7. et 8. pauca de salutandi consuetudine „τῆς ἀρχαίας ἱστορίας“ sese adlaturum pollicitus ad Eumenem Cardianum provocavit et Dionysodorum (cf. c. 10), eum, qui Ptolemaei, Lagi filii, epistolas collegit. Certe hoc quoque loco non vetustiores, sed recentioris aetatis quos dixi historici vocabulo ἀρχαῖος significantur.

Quod autem Achaeus, poëta tragicus et aetate Alexide multo superior, eidem comico postponitur, apud Lucianum offensioni esse non potest; qui quidem in enumerandis scriptoribus temporis seriem haud raro neglegit. Ut in l. de conscr. hist. c. 57, ubi Homericae poëseos elegantiae opponitur Alexandrinorum poëtarum tumor, ita Parthenius, Euphorion, Callimachus coniunguntur, ut, qui aetate inferior sit, Parthenius, illis multo ante florentibus praeponatur. Qua re expedita accedo ad aliud.

Inter novae comoediae poëtas Lucianus nominatim memoravit Philemona eo loco, quem supra attuli, et Menandrum in Pseudol. c. 4. Quem ad locum Bentleius monuit, Ἔλεγχον non fabulae nomen, sed Prologum sub dei persona ab Elencho declamatum fuisse.[15]) Sed utut haec res sese habet, dubium non est, quin fabulam illam Menandream, in qua Elencho partes quaedam mandatae erant, Lucianus cognitam habuerit.

Praeter hos poëtas clarissimos alius comicus a Luciano memoratur, Lysimachus, genere Boeotus et sinceri atticismi captator avidissimus; de quo aliunde nihil traditum accepimus, nisi quod scholiasta de eo tanquam noto sibi poëta loquitur[16]), hunc initium fecisse dicens literae σ commutandae in τ. Quamquam ex aliorum scriptorum silentio effici non debet, illius nomen Lucianum suopte ingenio commentum esse; immo dubitari non poterit, quin huius quoque poëtae vel unam vel complures fabulas ille legerit admodum integras.

Paucissimos igitur poëtas comicos nomine apposito Lucianus appellavit, dico hos: Eupolin, Aristophanem, Alexin, Philemona, Menandrum, Lysimachum. Inter quos veterum illorum comicorum ita mentio fit, ut illudendi, qua maxime vigebant, mordacitas vel ex brevibus huius scriptoris verbis conspicua sit et imprimis Aristophanes, utpote vir sapiens, laudibus efferatur. Ex Alexidis autem et Philemonis comoediis ei notis versiculos quosdam Lucianus attulit; Menandrum et Lysimachum ita in partes vocavit, ut ad unius Prologum notissimum respiceret, proprietatem sermonis denotare

---

[15]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 307.

[16]) cf. Iudic. vocal. c. 7 et schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 41.

alterius. Sed ex tanta nominum paucitate consectarium non fit, praeter eos, quos nominatim significaverit, non alios poëtas comicos Luciano cognitos fuisse; immo aliunde, quae eodem pertinent, elicere debemus.

Duplices autem, quo haec statuantur, fontes habemus; primum certarum comoediarum significationes, quas Lucianus scriptis suis inseruit; deinde comicorum versiculos ab hoc scriptore in suum usum ascitos. Quibus tertium fontium genus adiungere quis possit, eas dico scholiastae Lucianei adnotationes, quibus ad comici alicuius poëtae fabulam provocatur. At his quid ponderis insit, infra exponam.

Ac primum quidem eos locos examinabo, quibus certae comoediae ita a Luciano significantur, ut dubitari nequeat, quin argumenta earum scriptori haud ignota fuerint. Ex solis enim, quas adfert ille, comoediarum inscriptionibus nihil consequitur nec licet ita ratiocinari, ut dicatur, quia „Μαλθάκην" et „Θαΐδα", notarum fabularum titulos, adhibuerit, has comoedias Lucianum penitus cognitas habuisse. Quaerendum potius est, quonam sententiarum conexu et quo consilio comoediarum illarum argumenta Lucianus denotaverit. Exordiar igitur ab Eupolide.

Ille enim locus, quem supra attuli[17]) ex l. adv.ind. c. 27, ita comparatus est, ut argumentum eius fabulae, quae „Βάπται" inscripta erat, Luciano notum fuisse putandum sit. Quod si negatur, intellegi nequit, quo consilio scriptor, cum huius comoediae titulum nuncuparet, haec verba adiecerit: „εἰ δὲ οὐδέν σου τάχει καθίκετο οὐδ' ἠρυθρίασας γνωρίσας αὐτά;" Scivit sine dubio hic scriptor, Cottytiorum sacrorum turpitudinem, quae Alcibiades eiusque socii nocturnis conviviis flagitiisque celebrarent, Eupolidem ea in fabula esse insectatum.[18])

Controversum autem est, quam Eupolidis comoediam Lucianus subintellexerit, cum in Piscat. c. 25 spectatores delectatos esse scriberet Socrate per Eupolin et Aristophanem in scenam producto. Etenim ex ipsius sciptoris verbis: „τουτονὶ (sc. Σωκράτη) ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας" non elucet, utrum de peculiari Eupolidis comoedia Lucianus cogitaverit necne. Certe ex eo, quod legitur „ἀλλοκότους τίνας κ." posito numero plurali, concludere non licet, exstitisse illa aetate fabulam Eupolideam ad unum Socratem perstringendum compositam. Itaque alia testimonia conquirenda sunt. Atque peropportune accidit, quod in scholiis ad Nub. Arist. v. 96., ubi ex incerta Eupolidis comoedia

---

[17]) cf. p. 8.
[18]) cf. hist. crit. p. 121.

nonnulli versus afferuntur[19]), hoc adnotatum reperitur: „ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωπράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο." Valde autem probabilis est coniectura Bergkii, qui[20]) quidem metricas rationes respiciens, non peculiari fabula Socratem ab Eupolide derisum fuisse iudicaret, sed iocis per occasionem sparsis, quos ille intexuisse videtur parabasi „Adulatorum". In hac enim eodem metro Eupolis usus erat, atque in verss. illis a scholiasta Aristoph. servatis. Atque cum de Eupolidis cavillamentis in Socratem versis aliunde nihil traditum sit, nullus dubito, quin fabulam illam Eupolideam maxime in Calliam eiusque adsentatores compositam Lucianus eo Piscat. loco subintellexerit.

Jam pergo ad Aristophanem. Atque hic quoque exordiendum est a Piscat. c. 25. Neque enim dubium est, quin Lucianus, cum de Socrate per Aristophanem in scenam producto loqueretur, ante oculos habuerit huius poëtae „Nubes". Quae sententia aliunde fulcitur. In eo enim libello, qui inscribitur: „Πρὸς τὸν εἰπόντα· Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις,"[21]) de comoediae cavillatione haec dicuntur: „τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε (sc. ἡ κωμῳδία) φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα" et paullo infra: „ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα καὶ νεφέλαις ξυνόντας, ἄρτι δὲ ψύλλων πηδήματα διαμετροῦντας, ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους." Etenim hoc quoque loco Lucianus allusit ad Aristophanis „Nubes", id quod scholiasta[22]) (sed non satis distincte) significavit, cum ad vocabulum „μετεωρολέσχης" adnotaret, sic Aristophanem dicere in „Nubibus"; neque enim „μετεωρολέσχαι" ibi vocantur, sed „μετεωροφέναχες" et „μετεωροσοφισταί".[23]) Ac meo quidem iudicio Lucianus ad verbum Aristophanem hoc loco exprimere noluit, voluit leviter tantum illius versus attingere; id quod scholiasta non intellexit, confirmatur autem verbis „ψύλλων πηδήματα". Etenim ne his quidem Aristophanes usus erat, sed is scripserat v. 831. „ψύλλων ἴχνη". Id vero infitiās ire nemo poterit, denotari a Luciano Socratem eiusque sectatores, quos illa in comoedia, ut aërivagos ac de rebus et caelestibus et minutis inaniter garrientes, Aristophanes induxerat.[24]) Atque eadem fabula celeberrima Luciano obversata est, cum in „Bis accus." c. 33 Dialogum querentem faceret, unius Syri opera pristina dignitate sese esse orbatum, antea „σεμνὸν ὄντα καὶ θεῶν τε περὶ καὶ

[19]) cf. Meinek. fragm. com. Graec. vol. II. pars 1. p. 552.
[20]) cf. Bergk. comment. de reliqu. com. Attic. ant. p. 355.
[21]) cf. c. 6.
[22]) ap. Jacob. p. 38.
[23]) cf. Meinek. edit. vol. I. v. 333 et 360.
[24]) cf. Meinek. edit. I. v. 225. 359. 1503.

φύσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων περιόδου σκοπούμενον, ὑψηλὸν ἄνω που τῶν νεφῶν ἀεροβατοῦντα·"

Nec minus plane notas sibi fuisse Lucianus significavit illius poëtae „Aves". Ubi enim fabulosam illam urbem, Νεφελοκοκκυγίαν, descriptam invenerat, quam commemoravit in I. de ver. hist. c. 29.? Certe eo loco, ut supra dixi, ipsum Aristophanis nomen addidit; ut dubitatio non resideat, unde miraculi illius notitiam hic scriptor hauserit.

Reliquum est, ut exploretur ad mediae et novae comoediae poëtarum fabulas an ita Lucianus alluserit, ut argumenta earum perspecta habuisse putandus sit. Quod cum probalitate affirmaverim de Menandri „Colace". In Fugitiv. enim c. 19 illi pseudophilosophi blandiendi impudentia superasse dicuntur „τὸν Στρουθίαν ἢ τὸν Γναθωνίδην." Cum enim Struthias ille parasitus nulli, quod sciamus, poëtae comico irridendi materiem praebuerit, nisi uni Menandro, cuius ex Colace Terentius mutato nomine hanc personam in „Eunuchum" transtulit, ad Menandream illam fabulam Lucianum hoc loco respexisse contenderim. Gnathonis autem parasiti nomen, unde Lucianus derivavit illud „Γναθωνίδης", ambiguum est, a quo poëta repetitum sit.[25])

Praeterea Antiphanis „Malthacen" et „Thaïda" Menandri huic scriptori non ignotas fuisse, ex Rhetor. praec. c. 12. conicio. Ibi enim molliculo isti magistro probro datur, quod meretriciis artibus iuvenes soleat irretire. Atque ipsa Luciani verba haec sunt: „ὑπομειδίασας τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλὸν οἷον εἴωθεν, Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ προσηνεῖ τοῦ φθέγματος." Illecebras igitur diffamatas, quibus nixae istae meretriculae amatores solebant illaqueare, facete Lucianus vindicavit illi rhetorum praeceptori. Cum autem idem scriptor — id quod apparet ex dialogis meretriciis — in scortorum moribus describendis operam collocaverit, nullus dubito, quin hoc loco illustrissimas illas Antiphanis et Menandri comoedias denotaverit, quippe quas cognitas haberet.

Sequitur, ut ii comicorum versus sub examen vocentur, qui Luciani scriptis — haud ita frequentes — intexti sunt. Quo ex numero supra attuli, quibus auctoris nomen ab hoc scriptore additum est. Restant autem alii versus ἀνωνύμως positi. Saepius enim apud Lucianum comicorum quidam versiculi proponuntur praemissis hisce verbis: „ὡς ὁ κωμικός" sive „κατὰ τὸν κωμικόν". Ambiguum igitur videatur, utrum ille unum poëtam κατ' ἐξοχήν vocaverit „τὸν κωμικόν," an quoslibet alios poëtas comicos eodem vocabulo significaverit. Plerumque enim illius nominis honore apud veteres scriptores

[25]) cf. Fritzsch. adnot. ad h. l., in edit. s. vol. II. p. 251 sq.

ornatus est Aristophanes; interdum autem eximie „ὁ κωμικός“ dictus est Menander; id quod apparet ex Eustathii aliorumque recentiorum testimoniis.[26]) Versus autem comicorum illis verbis praemissis Lucianus citavit hosce: Musc. enc. c. 11: „ἡ Μοῦσα ἔδακνεν αὐτὸν ἄχρι καρδίας“; Jup. trag. c. 32: „ἄγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων;“ ibidem c. 38: „τουτὶ μὲν ὑπομόχθηρον, ἄλλο μοι λέγε.“ Hic in enumerandis versibus subsistam. Etenim per se hi versiculi et Aristophanis esse possunt et Menandri; sed propter sententiae levitatem et mansuetudinem a Meinekio[27]) inter incertas Menandri fabulas relati sunt; ac mea quidem opinione probabiliter. Ut autem res proposita expediatur, alii versus tres respiciendi sunt. In dial. enim „Prom. es in verb.“ c. 2. legitur: „μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγοις εἶναι, ὡς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνα· φησὶ δὲ, οἶσθα, περὶ αὐτοῦ: „Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα“. Quem trimetrum magna cum probabilitate referunt ad Eupolin, qui ipse in comoedia „χρυσοῦν γένος“ Cleonem deriserat. Certe ipso argumento hic versus cognatus est iis, quos ex eadem Eupolidis fabula Meinekius collegit in hist. crit. p. 145. sq. Menandro autem hunc versiculum attribuere probabilitatis specie caret. Etenim nova comoedia, etsi non prorsus inter privatae vitae quasi parietes inclusa erat, rei publicae perturbationes et conversiones magis dolebat, quam castigabat. Quod autem gravissimum est, nulla exstant testimonia, quibus novae comoediae poëtae conviciis proscidisse tradantur vel eos viros, qui, cum vulgi imperium Athenis florere inciperet, comicorum acerbitatem experti erant, Cleonem dico, Hyperbolum, Alcibiadem. Quare Menandro ille versus abiudicandus est; Aristophanes autem an Eupolis eum fabricaverit, in dubio relinquitur.

Accedit alius locus in Nigr. c. 7, ubi haec leguntur de illo philosopho: „κατὰ τὸν κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι“. Quibus in verbis facile agnoscitur ille Eupolidis versus Periclis facundiam sic laudantis: „τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις“. Etenim hic poëta egregiis laudibus Periclis eloquentiam extulerat in comoedia „Δῆμοι“, in qua veteris rei publicae propugnatores, Solona, Miltiadem, Aristidem, Periclem ab inferis resuscitatos in scenam produxerat.

Denique illud „ὁ κωμικός“ in Jov. trag. c. 53. huic versui praefixum est: „οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ;“ qui disceptari omnino nequit, cui auctori accensendus sit.

Ex his, quae attuli, apparet, bis apud Lucianum praemissa

---

[26]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 201 et 325.
[27]) cf. Mein. fragm. com. Graec. IV. p. 653.

formula „ὡς ὁ κωμικός“ ea verba citari, quae cum probabilitate neque ad Aristophanem referantur neque ad Menandrum, sed ad unum Eupolidem.[28]) Porro elucet, alium versum incertae originis iisdem verbis praefixis a Luciano afferri. Atque hoc illud est, quod suspicionem mihi movet et ad eam sententiam me adducit, ut nullum poëtam κατ' ἐξοχήν a Luciano dictum esse contendam „τὸν κωμικόν“, sed hoc nomen ab eo omnibus iis comicis tributum esse, quorum certae fabulae etiam Luciani aetate essent percognitae. Neque quidquam obstat, quominus, id quod supra significavi, existimemus, Lucianum ut Menandri eiusque aequalium comoedias spectando, ita legendo cognitas habuisse nonnullas fabulas et Eupolideas et Aristophaneas.

Restat, ut tertium illud fontium genus adeamus, quod praebere videantur scholia. Accuratius enim eae scholiastae Lucianei adnotationes rimandae sunt, quibus ad comici alicuius exemplum provocatur.

In Alex. c. 4. de mendaci illo vaticinatore haec scripta inveniuntur: „τῶν ἐπὶ κακίᾳ διαβοήτων ἀκρότατος ἀπετελέσθη ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον ἢ Σώστρατον.“ Quem ad locum sic scholiasta adnotat:[29]) „οὗτοι (sc. οἱ Κέρκωπες) ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος . . . . ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις“ et paullo infra de Aristodemo: „ὁ Ἀριστόδημος δὲ μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν, ἀφ' οὗ καὶ ὁ πρῶκτος Ἀριστόδημος καλεῖται. Κρατῖνος Πανόπταις. Ἀριστόδημος ὡς ἀσχημονῶν ἐν τοῖς Κιμωνίοις ἀνὴρ ἐρειπίοις.“ At ex his verbis certi quidquam enucleari nequit ad eam quaestionem absolvendam, an re vera Lucianus Cratini comoedias a scholiasta prolatas perlegerit. Ita enim res sese habet. Illusit sine dubio Cratinus — id quod scholiasta diserte testatur — et Cercopes et Aristodemum, ut homines nefarios et dolosos. Sed neque Cercopes, versuti illi fraudatores, neque Aristodemus, effrenatae libidinis homo, uni Cratino ludibrio fuerunt; immo aliis quoque poëtis vellicandi materiam suppeditaverant.[30]) Ac Cercopas quidem „parasitorum et alapistarum quasi proavos“ in proverbium abiisse luculenter apparet ex Lobeckii commentatione „de Cobalis et Cercopibus“.[31]) Quare causa non est, cur, quae brevissime Lucianus de iis memoraverit, ea referantur ad unum Cratinum. Neque aliter de ea scholiastae adnotatione iudico, quae exstat ad Tim. c. 30. In hoc enim capite Plutus, quod iterum ad Timonem sibi redeundum sit, in-

---

[28]) cf. Prom. es in verb. c. 2, Nigr. c. 7.
[29]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 139 sq.
[30]) cf. Mein. vol. II. p. 1045.
[31]) cf. Lob. Aglaoph. p. 1296 sqq.

dignatus, haec ad Mercurium dicit: „ἐπεὶ ἦν γε ἀπολίπῃς με, Ὑπερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν. Quodsi scholiasta copiosius exponens de Hyperbolo et Cleone per comicos irrisis Cratini quoque mentionem facit, quippe qui Hyperbolum acerbitatis aculeis perstrinxerit in „Horis", ne id quidem, etsi per se verum, ad hanc quaestionem ullius momenti est, quoniam — id quod scholia ipsa confirmant — illum virum in re publica Atheniensium clarissimum et Aristophanes et Plato et prae ceteris, ut docet Meinekius,[32]) Eupolis virulenta acerbitate exagitaverant. — Restat locus ille in Vitar. auct. c. 16, ubi Socrates deorum nomina attestari veritus hocce iurat iusiurandum: „καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν." Ad haec enim verba scholiastes sive e schol. Plat. p. 331 sive e Photio p. 481 adscripsit hoc: „Ῥαδαμάνθυος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἢ τινος ἄλλου τοιούτου"; quibus verbis versiculos quosdam Cratini addidit ex „Cheironibus", qui ita Bergkio[33]) scribendi videbantur:

. . . . . „οἷσιν ἦν μέγιστος
ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων."

a Fritzschio[34]) autem hunc in modum restituti sunt:

. . . . . „οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δὲ παντελῶς ἐσίγων."

Sed sive Fritzschii emendatio approbatur, sive — id quod mihi multo probabilius visum est — Bergkii maxime ad scholiastae verba: „οἷς (ἦν addidit Jacobitius) μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων, adaptata recipitur, id ad nostram quaestionem nihil facit. Etenim ex adnotatione scholiastae effici nequit, Lucianum, cum sollemne illud iusiurandum denotaret, ante oculos habuisse versus illos Cratineos. Quare ex iis, quae in scholiis de Cratini comoediis adnotata inveniuntur, nullo modo comprobari potest, ullam huius poëtae comoediam Lucianum cognitam habuisse. Quae res eo minus mira videbitur, quod vetusti illius comici fabulas ne Alexandrinorum quidem aetate omnes superstites erant, nedum Luciani saeculo eas plures integras exstitisse credibile sit.

Venio nunc ad eas scholiastae adnotationes, quae et ad Eupolideas comoedias spectant et ad Aristophaneas. Illius enim poëtae fabulae memorantur hae: „Ἀστράτευτοι" et „Δῆμοι,[35]) in quibus Phry-

---

[32]) cf. hist. crit. p. 188.
[33]) cf. Comment. de reliqu. com. Attic. aut. p. 232.
[34]) cf. Fritzsch. adnot. ad Vit. auct. c. 16, vol. II. p. 59.
[35]) cf. ap. Jacob. vol. IV. p. 140.

nondam, „Πόλεις,[36]) qua in comoedia scholiasta teste auctor Hyperbolum illusit. Ex Aristophaneis fabulis hae afferuntur: „Ἀμφιάραος", „Προαγών", „Θεσμοφοριάζουσαι";[37]) in quibus eundem Phrynondam ille increpuisse fertur, quem Eupolis perstrinxerat in „Δήμοις". Praeterea scholiasta provocat ad „Γηρυτάδην",[38]) qua in comoedia Agatho, comptus ille et molliculus poëta tragicus, Aristophani ludibrio fuit. Porro commemorantur eiusdem poëtae „Ἱππεῖς,[39]) Ἐκκλεσιάζουσαι, Σφῆκες";[40]) quibus in fabulis Ariphradem, Hyperbolum, Calliam derisos fuisse scholiasta adnotat. Sed si neglectis scholiis contemplabimur quae in dialogis suis de Phrynonda, Hyperbolo, Ariphrade, Callia Lucianus ipse tradidit, facile apparebit, hos omnes viros, vel in re publica Atheniensium vel ex comoediis ipsis pernotos, tam breviter tamque generaliter abhoc scriptore commemorari, ut, cum exempli gratia Calliam diceret „μειράκιον ἀχόλαστον", famam magis de iis pervulgatam ille secutus esse putandus sit, quam certam unius poëtae comoediam. Ad nostram igitur quaestionem absolvendam ne ex illis quidem scholiastae adnotationibus fructus quidquam redundabit.

Ac ne de Phrynicho quidem et Platone, quos sese legisse in libris ipsis nullo loco Lucianus indicat, certi quidquam elici poterit ex scholiis. Quod apparet ex ea scholiastae adnotatione, quae exstat ad. l. pro merc. cond. c. 21. Ibi enim miselli isti paedagogi, qui e Graecia Romam migrabant frequentissimi, iis cum hominibus comparantur, quibus contraria semper obtingunt iis, quae ipsi concupiscunt, ut sensim ad deterius eorum res delabantur. Tum insequitur hoc: „καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν, ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα." Quod proverbium, ut ex schol. Barocc. et Marc. cognoscitur,[41]) Plato commemoraverat in „Διὶ κακουμένῳ." Fuit autem idem proverbium pervulgatum, id quod docent Zenobius et Alciphro.[42]) Quapropter non est, cur e Platone, poëta comico, Lucianum id sumpsisse putemus. Id enim in scholiis non traditur, an Platonis verba eadem fuerint, atque Lucianea.

Mediae et novae comoediae poëtarum fabulae in scholiis nullae memorantur. Id autem satis demonstrasse mihi videor, scholiastae Lucianei adnotationes, de quibus modo dixi, etsi per se

---

[36]) ibid. p. 47.
[37]) ibid. p. 140.
[38]) ibid. p. 222.
[39]) ibid. p. 335.
[40]) ibid. p. 47 et 170.
[41]) cf. schol. ap. Jacob. IV p. 112.
[42]) cf. Fritsch. ad h. l. in vol. I part. 2, p. 170.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάϊς“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam gravioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem iudicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi ὀραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „ἰατταταιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

invenitur. Facillime autem fieri poterat, ut duae literae iis, quae insequuntur, plane consonae a librario omitterentur. Deinde illud παιάξ ne apud Lucianum quidem usquam reperitur, reperitur frequentius et παπαῖ et ὀττοτοῖ.[45]) Denique valde dubium est, an Lucianus — id quod Cobetus iudicasse videtur — ad Equit. Arist. versum 1. hoc loco respexerit: „ἰαττατταιὰξ τῶν κακῶν, ἰαττατταῖ." Ibi enim neque παπαῖ interiectio legitur neque ὀττοτοῖ. Quare multo probabilius mihi videtur, Lucianum, si omnino poëtae alicuius versum hoc loco ante oculos habuit, respexisse ad tragici cuiusdam verba, non comici, praesertim cum comoediae sermo interiectionem illam ὀττοτοῖ prorsus respuisse videatur. Certe non est, cur Luciani verba quae attuli ex Aristophaneo exemplo diffingantur.

Contra alius locus Lucianeus apte a Cobeto afferri potuit, quo ostenderetur, ex Eupolide quoque huius scriptoris verba uno loco corrigi posse. In Nigrin. enim c. 7 is amico cuidam narrat, adeo illius philosophi sermone sese esse commotum, ut ubique quamvis absentis Nigrini vocem audire sibi videretur. Tum haec verba adduntur: καὶ γάρ τοι κατὰ τὸν κωμικὸν, ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι;" quae cum scriberet, Luciano, ut supra dixi, Eupolidei versus obversati sunt ad Periclem ab illo relati, quorum ultimum attuli p. 10. Id Fritzschius[46]) quoque concessit; sed cum idem adderet: „at Eupolis hoc voluit, 'relinquere solebat', Lucianus non item," non recte mea quidem opinione iudicavit. Immo, quod ille laudaverat in Pericle, consulto Lucianus transtulit ad Nigrinum, scilicet id, ut non semel, sed saepius illum in audientium animis quasi stimulum quendam reliquisse indicaret. Qua explicatione probata et optime in Luciani verbis intelligitur participium imperfecti „τοῖς ἀκούουσι" — iis, qui quoque tempore audiebant — cui respondet Eupolideum illud „τοῖς ἀκροωμένοις", et ipsa Nigrini laus augetur. Quare ex Eupolidis verbis pro tradito aoristo „ἐγκατέλιπε", substitutum velim imperfectum „ἐγκατέλειπε", quod recte legitur in uno cod Florent. (Φ).

Sed ut ad Cobetum redeam, hic vir doctus sine dubio vere iudicavit de similitudine inter Aristophanem et Lucianum intercedente. Quamquam perpetuo ordine de iis locis, quibus comicorum et verba et color apud Lucianum agnoscuntur, non disseruit; ac ne Ziegelerus quidem (p. 28 sq.) omnia huc spectantia collegit.

---

[45]) cf. Hermot. c. 5, Char. c. 23. Catapl. c. 20.

[46]) cf. adnot. ad h. l. vol. II i. part. 2, p. 57.

Itaque ut a singulis vocabulis exordiar, inveniuntur apud Lucianum nonnullae vocabulorum formae, quas praeter comicos poëtas nullum scriptorem Graecum usurpasse video. Velut verbum „ἰδίειν" pro „ἰδροῦν" a veteribus comicis[47]) frequentius positum esse Stephanus testatur; atque idem vocabulum a Luciano, etsi in Lexiph. c. 2 ut obsoletum vituperatur, compluribus locis admissum est.[48]) Similiter verbum „σπαθᾶν", quod pro consumere vel profuse absumere unus usurpavit Diphilus,[49]) apud Lucianum eodem sensu positum reperitur in Gall c. 29. et in Prom. s. Cauc. c. 19., praeterea apud unum Alciphronem,[50]) Luciani imitatorem. Porro verbum „λημᾶν" et poëta ille comicus et Lucianus repetiisse videntur ex artis medicinae scriptoribus.[51]) Certe alii auctores eo verbo usi non sunt. Item ad comicorum exemplum in Luciani scriptis referam formas „ἐγχάσκειν" pro vulgari „ἐγχαίνειν,"[52]) „κυλίειν" et „κυλινδεῖν" pro „κυλίνδειν," quorum illud apud anonym. com. Mein. IV. p. 618 et in Aristoph. Vesp. v. 201. aeque occurrit, atque in Luc. l. de hist. conscr. c. 4.; hoc in Av. v. 525. legitur et saepius apud Lucianum.[53]) Addo verbum „κονίειν," quod pro usitato κονίζειν et Aristophanes posuit in Eccles. v. 291. et Lucianus in Cat. c. 3. et Tim. c. 45.

Accedunt aliae formae, quas grammatici solent dicere anomalas, velut accus. γέλων in incert. com. fragm. ap. Mein. II, p. 1176. et in Pseudolog. c. 2. et perfectum ἑόρακα, quod et apud Aristophanem in Nub. 768 invenitur et IV locis apud Alexin[53b]); quibus omnibus altera forma ἑώρακα metro reicitur. Lucianus autem illud ἑορακα a pedestri Atticorum sermone alienum admisit in deor. dial. VII c. 1 et alibi. Ac participium primi, qui dicitur, aoristi „λείψας", quod in verbis compositis a recentioris aetatis scriptoribus frequentatum est, post Aristophanem nulla praepositione praefixa uni Luciano excidit in lib. de Paras. c. 42.[54]) Huius generis formas — exstant enim aliae illarum similes, quas, cum ex recentioris graecitatis usu in huius scriptoris libros transierint, enumerare, ab hoc loco alienum est — longe plurimas Cobetus in Var. lect. inde a p. 128 vel prorsus Lu-

[47]) cf. Pac. v. 84, Ran. v. 238.
[48]) cf. Luc. pro laps. c. 1, de merc. cand. c. 15, Eun. c. 7.
[49]) cf. Jacobii indic. ad fragm. com. Graec. Mein. vol. V. p. 953.
[50]) cf. Alciphr. epist. ed. Mein. l. III. 34.
[51]) cf. Nub. 327, Plut. v. 581, Luc. dial. Mort. IX, 2.
[52]) cf. Vesp. v. 721 et Luc de Per. mort. c. 13.
[53]) dial. Mar. V 1., Pseudol. c. 3.
[53b]) cf. Jacobii indic., fragm. com. Graec. vol. V. part. 2, p. 713 sq.
[54]) cf. Lobeck. ad Phryn. p. 714 sq.

ciano derogavit vel nimis incuriose et negligenter ab eo positas esse contendit. Etenim ibidem p. 75 pronuntiavit, ex huius quoque scriptoris libris apparere, „quam negligenter et inepte plerique tum loquerentur, quam incredibilis socordia, quam foeda sermonis inscitia fuerit vel in doctissimis.“ Nec minus inclementer iudicavit, cum in eorum scriptorum numero Lucianum haberet,[55]) qui „antiquorum Atticorum sermonem, quem ad amussim referre satagerent, ipsi non satis tenuissent.“ Cohaeret autem id Cobeti iudicium de Graeculorum inscitia in aliis quoque commentationibus[56]) prolatum cum quaestione illa satis intricata, in verborum formis quantum apud inferioris aetatis auctores „κοινῆς,“ quam vocant, usui attribuere liceat, quantum per meram inscitiam scriptores ipsi admisisse, quantum librarii prave infersisse putandi sint. Hanc autem quaestionem absolvere et tironis vires superat, neque hoc loco aptum est. Sed cum earum quoque formarum partem, quas Luciano cum comicis communes esse dixi, Cobetus ei ademerit, velut quae ducuntur ab infinitivis κονίειν, κυλίειν, κυλινδεῖν,[57]) paucis exponam, quid iudicandum mihi videatur.

Captavit Lucianus Atticae dictionis elegantiam et sinceritatem, eamque magis suam fecit, quam quisquam recentioris graecitatis scriptor. Atque id Cobetus quoque persensit, cum veterum sanae et tersae dictionis anxium et diligentem exactorem Lucianum diceret.[58]) Quodsi nihilo minus is in syntaxi[59]) potissimum et in formis eorum verborum, quae dicunt „αὐθυπόταχτα“,[60]) a consueto genere dicendi Atticorum descivit, id non unius vitium fuit, sed aetatis in his quoque ad deteriora prolabentis. In universum autem Lucianum minime ignorasse, quid Atticis permissum esset quidve non liceret, ex eo sequitur, quod verborum formas suo arbitrio variabat et modo ad antiquorum normam flexas usurpabat, modo novicias; velut iuxta posuit „ἐπτόμην“ et „ἐπτάμην“, „ἔλιπον“ et „ἔλειψα“, „ἔγημα“ et „ἐγάμησα“. Huc accedit, quod peculiari in libello[61]) eos derisit, qui, cum aliorum soloecismos reprehenderent, ipsi propter ingenii mediocritatem ad veram sermonis elegantiam procedere nequirent, et ibidem certa

---

[55]) cf. Var. lect. p. 78.

[56]) cf. Mnemosyn. vol. p. p. 18 sq. et 169 sq., VII. p. 9 sq.

[57]) cf. Var. lect. p. 133 sq.

[58]) ibid. p. 76.

[59]) cf. Heller: die Absichtssätze bei Lucian, symbol. Joachim. 1880. p. 180 sqq. et. Ad. du Mesnil: dc Luciani grammatica, Stolp 1867.

[60]) cf. Lob. ad Phryn. p. 715, 726, 737 sq.

[61]) cf. lib. Ψευδοσοφίστης sive Σολοικιστής.

verborum discrimina aperuit, quibus aequales promiscue uti solebant.[62]) Quid igitur iudicabimus? Concedemusne Cobeto, permulta eaque inusitata Lucianum per inscitiam posuisse aut neglegentiam? Equidem id negaverim. Nam praeter illud variandi formas studium, quod apud hunc scriptorem observatur frequentissimum, aliam rem doctus ille Batavus mea quidem opinione non satis attendit. Fuit enim Lucianus rhetorum discipulus et ipse quoque per totam fere iuventutem fictas causas declamitavit. Ac dolendum quidem est, quod orationes Herodis Attici aliorumque, qui illa aetate Asiaticum dicendi genus coluerunt, ut Polemonis, Favorini, Scopeliani, Theagenis Cnidii adhuc superstites non sunt. Sed si consideratur et quod in Rhet. Luc. praec. c. 17. inveni huius artis studioso a magistro ut maxime respiciendum commendatur,[63]) et quod in lib. de compos. verb.[64]) Dionysius Halicarnassensis tradit de Hegesia, Asianorum rhetorum principe, non inepte coniicere licet, horum omnium re vera fuisse proprium, ut singularibus verbis et poëticis potissimum formis immiscendis orationes suas exornarent. Augebatur sane eius modi subsidiis dicendi rhythmus, quem Luciano teste magnopere illi captabant, cum praeciperent: „ἢν δὲ πότε καὶ ᾖσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα σοι ᾀδέσθω καὶ μέλος γιγνέσθω.“[65]) Atque ab horum rhetorum exemplis Lucianus, ipse rhetor, non in declamationibus solum pependit, sed etiam haud raro in libellis satiricis; id quod maxime apparet ex Timonis initio magnificis verbis et ampullis referto. Certe in varietate formarum adhibenda idem consilium Lucianus videtur esse secutus, quod aequales rhetores, scilicet ut neglectis, quae usitata erant, audientium vel legentium animos attenderent. Quodsi ea detrahuntur menda, quae in Luciani scripta irrepserunt librariorum oscitantia, veluti futurum „χαρίσω“ et sim., et nonnulla alia demuntur, quae caducae graecitatis contagione infectus ille fortasse nimis audacter dicere ausus est, nihil omnino hunc scriptorem peccasse putaverim deceptum imperitia. Immo, ratione et consilio a dicendi norma, quam Attici statuerant, recedebat, quoniam, ut ipse dicit in Lexiph. c. 22, noluit esse „ὑπεραττικός“.

Sed haec digressio fortasse longius extenta est; atqui praeter-

---

[62]) cf. Soloec. c. 10: „καὶ ταῦτα ἴσως μὲν ὑποσυγχέχυται, ἴσως δὲ καὶ ἀκριβοῦται παρά τισι· βέλτιον δὲ τὸ ἀκριβοῦν ἑκάστῳ.“

[63]) μέτει δὲ ἀπόῤῥητα καὶ ξένα ῥήματα καὶ σκανίαις εἰρημένα ὑπὸ τῶν παλαι et q. s.

[64]) cf. in Schaef. edit. c. 4 et 18. praeterea cf. Blass: die griech. Beredtsamk. von Alex. bis auf August. p. 31.

[65]) cf. Rhetor. praec. c. 19.

mittere eam non potui, quoniam sententia, quam modo explicui, aliqua ex parte id reicitur, quod de variarum dialectorum apud Lucianum usu Cobetus iudicavit. Atque hoc illud est, quod arctissime cohaeret cum imitatione comicorum. Ita enim res sese habet: Lucianus non ubique scriptis suis exprimere studebat sermonem Atticorum, sed ex aliis quoque dialectis nonnulla mutuatus est. Neque enim solum per plurimos Luciani libros passim formae Jonicae reperiuntur, ut persaepe „αὐτόθι", „οὐδαμόθι", „πανταχόθι", „ὧν" aliae, verum etiam exstant tres libelli Luciani nomine insigniti, quorum in duobus auctor sola dialecto Jonica usus est, cum tertii libri pars non exigua eandem dialectum exhibet. Inscribuntur autem hi libri sic: „περὶ ἀστρολογίης", περὶ τῆς Συρίης θεοῦ", „βίων πρᾶσις". Duo autem illi libri, quos superiore loco dixi, in dubio versatur, an genuinis Luciani scriptis accensendi sint. Sed etiamsi editorum consensui obtemperantes—convenit enim de his libris pseudolucianeis inter Dindorfium Bekkerum, Sommerbrodtium—subditiciis Luciani scriptis eos adnumeramus, restat tamen is libellus, qui inscribitur: „βίων πρᾶσις", sine dubio genuinus, in quo Pythagoras, Democritus, Heraclitus patrio, id est Jonico sermone usi doctrinam suam explicantes inducuntur.[66])

Aeolismi quoque, qui dicitur, vestigia in Luciani scriptis nonnulla inveniuntur; velut formae „ἄμπνευσον" et „καμμύειν", de quibus vide Lobeck. ad Phryn. p. 339 sq. E Dorica dialecto manarunt haec vocabula: „σύμβαμα,[67]) ῥήτρα,[68]) τέλεσμα[69])" pro Attico „δαπάνη"; praeterea duae invocationis formulae, ex quibus una „ὦ Δάματερ" in XII. meretr. dial. legitur et apud Luciani imitatorem, Alciphronem, in epist. b. II. 3 in Mein. edit. p. 31, altera „ὦ φίλτατον Ἑρμάδιον" exstat in Char. c. 1. Inveniuntur autem et illud „καμμύειν" et vocativus „Δάματερ" etiam apud comicos; quae res digna est, quae animadvertatur. Ac tota haec ratio posita in variarum dialectorum formis non solum sparsim ponendis, sed per totas fabularum particulas usurpandis quibus poëtis magis probata erat, quam comicis? Etenim eo tragoediarum et comoediarum scriptores inter se differebant, quod illi parcius tantum maximeque in chori carminibus verba et formas aliis ex dialectis depromptas fabulis intexebant, id agentes, ut divinam quandam heroicamque efficerent „μεγαλορρημοσύνην". Contra comici per continuas scenas peregrinos homines inducebant horrida verba

---

[66]) cf. Vitar. auct. c. 3, 4, 13, 14.
[67]) cf. Vit. auct. c. 21.
[68]) cf. Apol. pro merc. cond. c. 2.
[69]) cf. Jup. trag. c. 11, epist. Sat. c. 35.

hiantes et Atticae dialecti sinceritatem quasi in barbariem vertentes: ut in Acharn. Megarensis et Boeotus, in Thesmoph. Scytha, in Lysistr. Lacedaemonia illa mulier dissono vocis strepitu spectatorum risum movent. Atque haec ipsa ratio Luciano cum solis comicis communis est. Etenim is quoque comicam quandam festivitatem affectavit, cum ipsa dialecti selectione Jonicos illos philosophos quasi priscos et obsoletos sibi videri in Vitar. auct. significaret. Quare Cobeto non modo adstipulari non possum, in Var. lectt. p. 301 dicenti, inconcinne et ineleganter a Luciano aliarum dialectorum formas adscitas esse eundemque „ἰάζειν" ridicule, verum etiam hoc in genere consulto illum scriptorem comicos imitatum esse contendo

De formarum et dialectorum apud Lucianum varietate hac tenus. Venio nunc ad vocabulorum usum. Quo in genere haud ita multa, at certe commemoratu digna deducenda videntur esse a comicis.

Maxime enim Lucianus adamaverat deminutiva, quarum magnam partem, veluti „σκαφίδιον", „ξιφίδιον", „θεραπαινίδιον", „δοράτιον", ita usurpabat, ut a substantivorum, unde derivata erant, notione vix different, maiorem partem ita posuit, ut cum ironia vel cum contemptu loqueretur. Atque huic dicendi rationi quanta inesse possit illudendi vis et acies, cognoscitur, ut alios omittam, ex nonnullis de Paras. libro locis, quibus, ut vellicandi vim augeret, de industria Lucianus deminutiva coacervavit. Ut in c. 42, ubi de Lycurgi et Hyperidis oratorum ignavia haec scripta inveniuntur: „ἀλλ' οὐδὲ ὅλως ἐτόλμησαν ἔξω παρακύψαι, ἀλλ' ἐντειχίδιοι ἐκάθηντο γνωμίδια καὶ προβουλευμάτια συντιθέντες"; quem locum Alciphro reddidit in epist. l. III 22 p. 49. Similiter in lib. de Paras c. 43 de philosophante Socrate: „πολὺ γὰρ ἀστειότερον αὐτῷ ἐδόκει μετὰ τῶν μειρακυλλίων καθεζόμενον ἁρπάζειν καὶ σοφισμάτια προβάλλειν". Quibus locis alium addo ex Tim. c. 14. ubi de dominis avaris Juppiter ad Plutum haec dicit; „καὶ προσέτι γε καὶ κατεγέλας αὐτῶν . . . . . ἀγνοούντων δὲ, ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος παιδότριψ ὀπεισιὼν λαθραίως ἐμπαροινήσει τὸν κακοδαίμονα καὶ ἀνέραστον δεσπότην πρὸς ἀμαυρόν τι καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπαγρυπνεῖν ἐάσας τοῖς τόκοις". Atque haec deminutiva frequentandi ratio maxime probata erat poëtis comicis; et Aristophanes, prae ceteris in eius modi vocabulis fingendis feliciter audax, deminutivorum copia Graecum sermonem ditaverat. Certe is quoque persaepe cum irrisione quadam huius generis vocabula adhibuit. Sufficiat autem unum exemplum attulisse. In Nub. inde a v. 319 Strepsiades haec dicit:

„ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή, μου πεπότηται, καὶ

dignatus, haec ad Mercurium dicit: „ἐπεὶ ἦν γε ἀπολίπῃς με, Ὑβερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν. Quodsi scholiasta copiosius exponens de Hyperbolo et Cleone per comicos irrisis Cratini quoque mentionem facit, quippe qui Hyperbolum acerbitatis aculeis perstrinxerit in „Horis", ne id quidem, etsi per se verum, ad hanc quaestionem ullius momenti est, quoniam — id quod scholia ipsa confirmant — illum virum in re publica Atheniensium clarissimum et Aristophanes et Plato et prae ceteris, ut docet Meinekius,[32]) Eupolis virulenta acerbitate exagitaverant. — Restat locus ille in Vitar. auct. c. 16, ubi Socrates deorum nomina attestari veritus hocce iurat iusiurandum: „καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν." Ad haec enim verba scholiastes sive e schol. Plat. p. 331 sive e Photio p. 481 adscripsit hoc: „Ῥαδαμάνθυος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἢ τινος ἄλλου τοιούτου"; quibus verbis versiculos quosdam Cratini addidit ex „Chironibus", qui ita Bergkio[33]) scribendi videbantur:

. . . . . „οἷσιν ἦν μέγιστος
ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων,"

a Fritzschio[34]) autem hunc in modum restituti sunt:

. . . . . „οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δὲ παντελῶς ἐσίγων."

Sed sive Fritzschii emendatio approbatur, sive — id quod mihi multo probabilius visum est — Bergkii maxime ad scholiastae verba: „οἷς (ἦν addidit Jacobitius) μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων, adaptata recipitur, id ad nostram quaestionem nihil facit. Etenim ex adnotatione scholiastae effici nequit, Lucianum, cum sollemne illud iusiurandum denotaret, ante oculos habuisse versus illos Cratineos. Quare ex iis, quae in scholiis de Cratini comoediis adnotata inveniuntur, nullo modo comprobari potest, ullam huius poëtae comoediam Lucianum cognitam habuisse. Quae res eo minus mira videbitur, quod vetusti illius comici fabulas ne Alexandrinorum quidem aetate omnes superstites erant, nedum Luciani saeculo eas plures integras exstitisse credibile sit.

Venio nunc ad eas scholiastae adnotationes, quae et ad Eupolideas comoedias spectant et ad Aristophaneas. Illius enim poëtae fabulae memorantur hae: „Ἀστράτευτοι" et „Δῆμοι,[35]) in quibus Phry-

---

[32]) cf. hist. crit. p. 188.
[33]) cf. Comment. de reliqu. com. Attic. aut. p. 232.
[34]) cf. Fritzsch. adnot. ad Vit. auct. c. 16, vol. II. p. 59.
[35]) cf. ap. Jacob. vol. IV. p. 140.

nondam, „Πόλεις,[36]) qua in comoedia scholiasta teste auctor Hyperbolum illusit. Ex Aristophaneis fabulis hae afferuntur: „Ἀμφιάραος", „Προαγών", „Θεσμοφοριάζουσαι";[37]) in quibus eundem Phrynondam ille increpuisse fertur, quem Eupolis perstrinxerat in „Δήμοις". Praeterea scholiasta provocat ad „Γηρυτάδην",[38]) qua in comoedia Agatho, comptus ille et molliculus poëta tragicus, Aristophani ludibrio fuit. Porro commemorantur eiusdem poëtae „Ἱππεῖς,[39]) Ἐκκλεσιάζουσαι, Σφῆκες";[40]) quibus in fabulis Ariphradem, Hyperbolum, Calliam derisos fuisse scholiasta adnotat. Sed si neglectis scholiis contemplabimur quae in dialogis suis de Phrynonda, Hyperbolo, Ariphrade, Callia Lucianus ipse tradidit, facile apparebit, hos omnes viros, vel in re publica Atheniensium vel ex comoediis ipsis pernotos, tam breviter tamque generaliter abhoc scriptore commemorari, ut, cum exempli gratia Calliam diceret „μειράκιον ἀχόλαστον", famam magis de iis pervulgatam ille secutus esse putandus sit, quam certam unius poëtae comoediam. Ad nostram igitur quaestionem absolvendam ne ex illis quidem scholiastae adnotationibus fructus quidquam redundabit.

Ac ne de Phrynicho quidem et Platone, quos sese legisse in libris ipsis nullo loco Lucianus indicat, certi quidquam elici poterit ex scholiis. Quod apparet ex ea scholiastae adnotatione, quae exstat ad. l. pro merc. cond. c. 21. Ibi enim miselli isti paedagogi, qui e Graecia Romam migrabant frequentissimi, iis cum hominibus comparantur, quibus contraria semper obtingunt iis, quae ipsi concupiscunt, ut sensim ad deterius eorum res delabantur. Tum insequitur hoc: „καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν, ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα." Quod proverbium, ut ex schol. Barocc. et Marc. cognoscitur,[41]) Plato commemoraverat in „Δὶ κακουμένῳ." Fuit autem idem proverbium pervulgatum, id quod docent Zenobius et Alciphro.[42]) Quapropter non est, cur e Platone, poëta comico, Lucianum id sumpsisse putemus. Id enim in scholiis non traditur, an Platonis verba eadem fuerint, atque Lucianea.

Mediae et novae comoediae poëtarum fabulae in scholiis nullae memorantur. Id autem satis demonstrasse mihi videor, scholiastae Lucianei adnotationes, de quibus modo dixi, etsi per se

[36]) ibid. p. 47.
[37]) ibid. p. 140.
[38]) ibid. p. 222.
[39]) ibid. p. 335.
[40]) ibid. p. 47 et 170.
[41]) cf. schol. ap. Jacob. IV p. 112.
[42]) cf. Fritsch. ad h. l. in vol. I part. 2, p. 170.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάις“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam gravioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem iudicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi δραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „λαττατταιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

quod in eodem libello (pro laps. int. salut.) c. 7. et 8. pauca de salutandi consuetudine „τῆς ἀρχαίας ἱστορίας“ sese adlaturum pollicitus ad Eumenem Cardianum provocavit et Dionysodorum (cf. c. 10), eum, qui Ptolemaei, Lagi filii, epistolas collegit. Certe hoc quoque loco non vetustiores, sed recentioris aetatis quos dixi historici vocabulo ἀρχαῖος significantur.

Quod autem Achaeus, poëta tragicus et aetate Alexide multo superior, eidem comico postponitur, apud Lucianum offensioni esse non potest; qui quidem in enumerandis scriptoribus temporis seriem haud raro neglegit. Ut in l. de conscr. hist. c. 57, ubi Homericae poëseos elegantiae opponitur Alexandrinorum poëtarum tumor, ita Parthenius, Euphorion, Callimachus coniunguntur, ut, qui aetate inferior sit, Parthenius, illis multo ante florentibus praeponatur. Qua re expedita accedo ad aliud.

Inter novae comoediae poëtas Lucianus nominatim memoravit Philemona eo loco, quem supra attuli, et Menandrum in Pseudol. c. 4. Quem ad locum Bentleius monuit, Ἔλεγχον non fabulae nomen, sed Prologum sub dei persona ab Elencho declamatum fuisse.[15]) Sed utut haec res sese habet, dubium non est, quin fabulam illam Menandream, in qua Elencho partes quaedam mandatae erant, Lucianus cognitam habuerit.

Praeter hos poëtas clarissimos alius comicus a Luciano memoratur, Lysimachus, genere Boeotus et sinceri atticismi captator avidissimus; de quo aliunde nihil traditum accepimus, nisi quod scholiasta de eo tanquam noto sibi poëta loquitur[16]), hunc initium fecisse dicens literae σ commutandae in τ. Quamquam ex aliorum scriptorum silentio effici non debet, illius nomen Lucianum suopte ingenio commentum esse; immo dubitari non poterit, quin huius quoque poëtae vel unam vel complures fabulas ille legerit admodum integras.

Paucissimos igitur poëtas comicos nomine apposito Lucianus appellavit, dico hos: Eupolin, Aristophanem, Alexin, Philemona, Menandrum, Lysimachum. Inter quos veterum illorum comicorum ita mentio fit, ut illudendi, qua maxime vigebant, mordacitas vel ex brevibus huius scriptoris verbis conspicua sit et imprimis Aristophanes, utpote vir sapiens, laudibus efferatur. Ex Alexidis autem et Philemonis comoediis ei notis versiculos quosdam Lucianus attulit; Menandrum et Lysimachum ita in partes vocavit, ut ad unius Prologum notissimum respiceret, proprietatem sermonis denotar

---

[15]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 307.

[16]) cf. Iudic. vocal. c. 7 et schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 41.

alterius. Sed ex tanta nominum paucitate consectarium non fit, praeter eos, quos nominatim significaverit, non alios poëtas comicos Luciano cognitos fuisse; immo aliunde, quae eodem pertinent, elicere debemus.

Duplices autem, quo haec statuantur, fontes habemus; primum certarum comoediarum significationes, quas Lucianus scriptis suis inseruit; deinde comicorum versiculos ab hoc scriptore in suum usum ascitos. Quibus tertium fontium genus adiungere quis possit, eas dico scholiastae Lucianei adnotationes, quibus ad comici alicuius poëtae fabulam provocatur. At his quid ponderis insit, infra exponam.

Ac primum quidem eos locos examinabo, quibus certae comoediae ita a Luciano significantur, ut dubitari nequeat, quin argumenta earum scriptori haud ignota fuerint. Ex solis enim, quas adfert ille, comoediarum inscriptionibus nihil consequitur nec licet ita ratiocinari, ut dicatur, quia „Μαλθάκην" et „Θαῖδα", notarum fabularum titulos, adhibuerit, has comoedias Lucianum penitus cognitas habuisse. Quaerendum potius est, quonam sententiarum conexu et quo consilio comoediarum illarum argumenta Lucianus denotaverit. Exordiar igitur ab Eupolide.

Ille enim locus, quem supra attuli[17]) ex l. adv.ind. c. 27, ita comparatus est, ut argumentum eius fabulae, quae „Βάπται" inscripta erat, Luciano notum fuisse putandum sit. Quod si negatur, intellegi nequit, quo consilio scriptor, cum huius comoediae titulum nuncuparet, haec verba adiecerit: „εἶτ' οὐδέν σου τἀκεῖ καθίκετο οὐδ' ἠρυθρίασας γνωρίσας αὐτά;" Scivit sine dubio hic scriptor, Cottytiorum sacrorum turpitudinem, quae Alcibiades eiusque socii nocturnis conviviis flagitiisque celebrarent, Eupolidem ea in fabula esse insectatum.[18])

Controversum autem est, quam Eupolidis comoediam Lucianus subintellexerit, cum in Piscat. c. 25 spectatores delectatos esse scriberet Socrate per Eupolin et Aristophanem in scenam producto. Etenim ex ipsius sciptoris verbis: „τουτονὶ (sc. Σωκράτη) ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας" non elucet, utrum de peculiari Eupolidis comoedia Lucianus cogitaverit necne. Certe ex eo, quod legitur „ἀλλοκότους τίνας κ." posito numero plurali, concludere non licet, exstitisse illa aetate fabulam Eupolideam ad unum Socratem perstringendum compositam. Itaque alia testimonia conquirenda sunt. Atque peropportune accidit, quod in scholiis ad Nub. Arist. v. 96., ubi ex incerta Eupolidis comoedia

[17]) cf. p. 8.
[18]) cf. hist. crit. p. 121.

nonnulli versus afferuntur[19]), hoc adnotatum reperitur: „ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωπράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο.“ Valde autem probabilis est coniectura Bergkii, qui[20]) quidem metricas rationes respiciens, non peculiari fabula Socratem ab Eupolide derisum fuisse iudicaret, sed iocis per occasionem sparsis, quos ille intexuisse videtur parabasi „Adulatorum“. In hac enim eodem metro Eupolis usus erat, atque in verss. illis a scholiasta Aristoph. servatis. Atque cum de Eupolidis cavillamentis in Socratem versis aliunde nihil traditum sit, nullus dubito, quin fabulam illam Eupolideam maxime in Calliam eiusque adsentatores compositam Lucianus eo Piscat. loco subintellexerit.

Jam pergo ad Aristophanem. Atque hic quoque exordiendum est a Piscat. c. 25. Neque enim dubium est, quin Lucianus, cum de Socrate per Aristophanem in scenam producto loqueretur, ante oculos habuerit huius poëtae „Nubes“. Quae sententia aliunde fulcitur. In eo enim libello, qui inscribitur: „Πρὸς τὸν εἰπόντα· Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις,“[21]) de comoediae cavillatione haec dicuntur: „τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε (sc. ἡ κωμῳδία) φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα“ et paullo infra: „ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα καὶ νεφέλαις ξυνόντας, ἄρτι δὲ ψύλλων πηδήματα διαμετροῦντας, ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους.“ Etenim hoc quoque loco Lucianus allusit ad Aristophanis „Nubes“, id quod scholiasta[22]) (sed non satis distincte) significavit, cum ad vocabulum „μετεωρολέσχης“ adnotaret, sic Aristophanem dicere in „Nubibus“; neque enim „μετεωρολέσχαι“ ibi vocantur, sed „μετεωροφένακες“ et „μετεωροσοφισταί“.[23]) Ac meo quidem iudicio Lucianus ad verbum Aristophanem hoc loco exprimere noluit, voluit leviter tantum illius versus attingere; id quod scholiasta non intellexit, confirmatur autem verbis „ψύλλων πηδήματα“. Etenim ne his quidem Aristophanes usus erat, sed is scripserat v. 831. „ψύλλων ἴχνη“. Id vero infitiās ire nemo poterit, denotari a Luciano Socratem eiusque sectatores, quos illa in comoedia, ut aërivagos ac de rebus et caelestibus et minutis inaniter garrientes, Aristophanes induxerat.[24]) Atque eadem fabula celeberrima Luciano obversata est, cum in „Bis accus.“ c. 33 Dialogum querentem faceret, unius Syri opera pristina dignitate sese esse orbatum, antea „σεμνὸν ὄντα καὶ θεῶν τε περὶ καὶ

[19]) cf. Meinek. fragm. com. Graec. vol. II. pars 1. p. 552.
[20]) cf. Bergk. comment. de reliqu. com. Attic. ant. p. 355.
[21]) cf. c. 6.
[22]) ap. Jacob. p. 38.
[23]) cf. Meinek. edit. vol. I. v. 333 et 360.
[24]) cf. Meinek. edit. I. v. 225. 359. 1503.

φύσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων περιόδου σκοπούμενον, ὑψηλὸν ἄνω που τῶν νεφῶν ἀεροβατοῦντα."

Nec minus plane notas sibi fuisse Lucianus significavit illius poëtae „Aves". Ubi enim fabulosam illam urbem, Νεφελοκοκκυγίαν, descriptam invenerat, quam commemoravit in I. de ver. hist. c. 29.? Certe eo loco, ut supra dixi, ipsum Aristophanis nomen addidit; ut dubitatio non resideat, unde miraculi illius notitiam hic scriptor hauserit.

Reliquum est, ut exploretur ad mediae et novae comoediae poëtarum fabulas an ita Lucianus alluserit, ut argumenta earum perspecta habuisse putandus sit. Quod cum probalitate affirmaverim de Menandri „Colace". In Fugitiv. enim c. 19 illi pseudophilosophi blandiendi impudentia superasse dicuntur „τὸν Στρουθίαν ἢ τὸν Γναθωνίδην." Cum enim Struthias ille parasitus nulli, quod sciamus, poëtae comico irridendi materiem praebuerit, nisi uni Menandro, cuius ex Colace Terentius mutato nomine hanc personam in „Eunuchum" transtulit, ad Menandream illam fabulam Lucianum hoc loco respexisse contenderim. Gnathonis autem parasiti nomen, unde Lucianus derivavit illud „Γναθωνίδης", ambiguum est, a quo poëta repetitum sit.[25])

Praeterea Antiphanis „Malthacen" et „Thaïda" Menandri huic scriptori non ignotas fuisse, ex Rhetor. praec. c. 12. conicio. Ibi enim molliculo isti magistro probro datur, quod meretriciis artibus iuvenes soleat irretire. Atque ipsa Luciani verba haec sunt: „ὑπομειδίασας τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλὸν οἷον εἴωθεν, Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ προσηνεῖ τοῦ φθέγματος." Illecebras igitur diffamatas, quibus nixae istae meretriculae amatores solebant illaqueare, facete Lucianus vindicavit illi rhetorum praeceptori. Cum autem idem scriptor — id quod apparet ex dialogis meretriciis — in scortorum moribus describendis operam collocaverit, nullus dubito, quin hoc loco illustrissimas illas Antiphanis et Menandri comoedias denotaverit, quippe quas cognitas haberet.

Sequitur, ut ii comicorum versus sub examen vocentur, qui Luciani scriptis — haud ita frequentes — intexti sunt. Quo ex numero supra attuli, quibus auctoris nomen ab hoc scriptore additum est. Restant autem alii versus ἀνωνύμως positi. Saepius enim apud Lucianum comicorum quidam versiculi proponuntur praemissis hisce verbis: „ὡς ὁ κωμικός" sive „κατὰ τὸν κωμικόν". Ambiguum igitur videatur, utrum ille unum poëtam κατ' ἐξοχήν vocaverit „τὸν κωμικόν," an quoslibet alios poëtas comicos eodem vocabulo significaverit. Plerumque enim illius nominis honore apud veteres scriptores

[25]) cf. Fritzsch. adnot. ad h. l., in edit. a. vol. II. p. 251 sq.

ornatus est Aristophanes; interdum autem eximie „ὁ κωμικός“ dictus est Menander; id quod apparet ex Eustathii aliorumque recentiorum testimoniis.[26]) Versus autem comicorum illis verbis praemissis Lucianus citavit hosce: Musc. enc. c. 11: „ἡ Μοῦσα ἔδακνεν αὐτὸν ἄχρι καρδίας“; Jup. trag. c. 32: „ἀγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων;“ ibidem c. 38: „τουτὶ μὲν ὑπομόχθηρον, ἄλλο μοι λέγε.“ Hic in enumerandis versibus subsistam. Etenim per se hi versiculi et Aristophanis esse possunt et Menandri; sed propter sententiae levitatem et mansuetudinem a Meinekio[27]) inter incertas Menandri fabulas relati sunt; ac mea quidem opinione probabiliter. Ut autem res proposita expediatur, alii versus tres respiciendi sunt. In dial. enim „Prom. es in verb.“ c. 2. legitur: „μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγοις εἶναι, ὡς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνα· φησὶ δὲ, οἶσθα, περὶ αὐτοῦ: „Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα“. Quem trimetrum magna cum probabilitate referunt ad Eupolin, qui ipse in comoedia „χρυσοῦν γένος“ Cleonem deriserat. Certe ipso argumento hic versus cognatus est iis, quos ex eadem Eupolidis fabula Meinekius collegit in hist. crit. p. 145. sq. Menandro autem hunc versiculum attribuere probabilitatis specie caret. Etenim nova comoedia, etsi non prorsus inter privatae vitae quasi parietes inclusa erat, rei publicae perturbationes et conversiones magis dolebat, quam castigabat. Quod autem gravissimum est, nulla exstant testimonia, quibus novae comoediae poëtae conviciis proscidisse tradantur vel eos viros, qui, cum vulgi imperium Athenis florere inciperet, comicorum acerbitatem experti erant, Cleonem dico, Hyperbolum, Alcibiadem. Quare Menandro ille versus abiudicandus est; Aristophanes autem an Eupolis eum fabricaverit, in dubio relinquitur.

Accedit alius locus in Nigr. c. 7, ubi haec leguntur de illo philosopho: „κατὰ τὸν κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι“. Quibus in verbis facile agnoscitur ille Eupolidis versus Periclis facundiam sic laudantis: „τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις“. Etenim hic poëta egregiis laudibus Periclis eloquentiam extulerat in comoedia „Δῆμοι“, in qua veteris rei publicae propugnatores, Solona, Miltiadem, Aristidem, Periclem ab inferis resuscitatos in scenam produxerat.

Denique illud „ὁ κωμικός“ in Jov. trag. c. 53. huic versui praefixum est: „οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ;“ qui disceptari omnino nequit, cui auctori accensendus sit.

Ex his, quae attuli, apparet, bis apud Lucianum praemissa

---

[26]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 201 et 325.
[27]) cf. Mein. fragm. com. Graec. IV. p. 653.

formula „ὡς ὁ κωμικός“ ea verba citari, quae cum probabilitate neque ad Aristophanem referantur neque ad Menandrum, sed ad unum Eupolidem.[28]) Porro elucet, alium versum incertae originis iisdem verbis praefixis a Luciano afferri. Atque hoc illud est, quod suspicionem mihi movet et ad eam sententiam me adducit, ut nullum poëtam κατ' ἐξοχήν a Luciano dictum esse contendam „τὸν κωμικόν“, sed hoc nomen ab eo omnibus iis comicis tributum esse, quorum certae fabulae etiam Luciani aetate essent percognitae. Neque quidquam obstat, quominus, id quod supra significavi, existimemus, Lucianum ut Menandri eiusque aequalium comoedias spectando, ita legendo cognitas habuisse nonnullas fabulas et Eupolideas et Aristophaneas.

Restat, ut tertium illud fontium genus adeamus, quod praebere videantur scholia. Accuratius enim eae scholiastae Lucianei adnotationes rimandae sunt, quibus ad comici alicuius exemplum provocatur. In Alex. c. 4. de mendaci illo vaticinatore haec scripta inveniuntur: „τῶν ἐπὶ κακίᾳ διαβοήτων ἀκρότατος ἀπετελέσθη ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον ἢ Σώστρατον.“ Quem ad locum sic scholiasta adnotat:[29]) „οὗτοι (sc. οἱ Κέρκωπες) ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος . . . . ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις“ et paullo infra de Aristodemo: „ὁ Ἀριστόδημος δὲ μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν, ἀφ' οὗ καὶ ὁ πρῶκτος Ἀριστόδημος καλεῖται. Κρατῖνος Πανόπταις. Ἀριστόδημος ὡς ἀσχημονῶν ἐν τοῖς Κιμωνίοις ἀνὴρ ἐρειπίοις.“ At ex his verbis certi quidquam enucleari nequit ad eam quaestionem absolvendam, an re vera Lucianus Cratini comoedias a scholiasta prolatas perlegerit. Ita enim res sese habet. Illusit sine dubio Cratinus — id quod scholiasta diserte testatur — et Cercopes et Aristodemum, ut homines nefarios et dolosos. Sed neque Cercopes, versuti illi fraudatores, neque Aristodemus, effrenatae libidinis homo, uni Cratino ludibrio fuerunt; immo aliis quoque poëtis vellicandi materiam suppeditaverant.[30]) Ac Cercopas quidem „parasitorum et alapistarum quasi proavos“ in proverbium abiisse luculenter apparet ex Lobeckii commentatione „de Cobalis et Cercopibus“.[31]) Quare causa non est, cur, quae brevissime Lucianus de iis memoraverit, ea referantur ad unum Cratinum. Neque aliter de ea scholiastae adnotatione iudico, quae exstat ad Tim. c. 30. In hoc enim capite Plutus, quod iterum ad Timonem sibi redeundum sit, in-

---

[28]) cf. Prom. es in verb. c. 2, Nigr. c. 7.
[29]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 139 sq.
[30]) cf. Mein. vol. II. p. 1045.
[31]) cf. Lob. Aglaoph. p. 1296 sqq.

dignatus, haec ad Mercurium dicit: „ἐπεὶ ἦν γε ἀπολίπῃς με, Ὑβερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν. Quodsi scholiasta copiosius exponens de Hyperbolo et Cleone per comicos irrisis Cratini quoque mentionem facit, quippe qui Hyperbolum acerbitatis aculeis perstrinxerit in „Horis", ne id quidem, etsi per se verum, ad hanc quaestionem ullius momenti est, quoniam — id quod scholia ipsa confirmant — illum virum in re publica Atheniensium clarissimum et Aristophanes et Plato et prae ceteris, ut docet Meinekius,[32]) Eupolis virulenta acerbitate exagitaverant. — Restat locus ille in Vitar. auct. c. 16, ubi Socrates deorum nomina attestari veritus hocce iurat iusiurandum: „καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν." Ad haec enim verba scholiastes sive e schol. Plat. p. 331 sive e Photio p. 481 adscripsit hoc: „Ῥαδαμάνθυος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἤ τινος ἄλλου τοιούτου"; quibus verbis versiculos quosdam Cratini addidit ex „Chironibus", qui ita Bergkio[33]) scribendi videbantur:

. . . . . „οἷσιν ἦν μέγιστος
ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων,"

a Fritzschio[34]) autem hunc in modum restituti sunt:

. . . . . „οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δὲ παντελῶς ἐσίγων."

Sed sive Fritzschii emendatio approbatur, sive — id quod mihi multo probabilius visum est — Bergkii maxime ad scholiastae verba: „οἷς (ἦν addidit Jacobitius) μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων, adaptata recipitur, id ad nostram quaestionem nihil facit. Etenim ex adnotatione scholiastae effici nequit, Lucianum, cum sollemne illud iusiurandum denotaret, ante oculos habuisse versus illos Cratineos. Quare ex iis, quae in scholiis de Cratini comoediis adnotata inveniuntur, nullo modo comprobari potest, ullam huius poëtae comoediam Lucianum cognitam habuisse. Quae res eo minus mira videbitur, quod vetusti illius comici fabulas ne Alexandrinorum quidem aetate omnes superstites erant, nedum Luciani saeculo eas plures integras exstitisse credibile sit.

Venio nunc ad eas scholiastae adnotationes, quae et ad Eupolideas comoedias spectant et ad Aristophaneas. Illius enim poëtae fabulae memorantur hae: „Ἀστράτευτοι" et „Δῆμοι,[35]) in quibus Phry-

---

[32]) cf. hist. crit. p. 188.
[33]) cf. Comment. de reliqu. com. Attic. aut. p. 232.
[34]) cf. Fritzsch. adnot. ad Vit. auct. c. 16, vol. II.° p. 59.
[35]) cf. ap. Jacob. vol. IV. p. 140.

nondam, „Πόλεις,“[36]) qua in comoedia scholiasta teste auctor Hyperbolum illusit. Ex Aristophaneis fabulis hae afferuntur: „Ἀμφιάραος“, „Προαγών“, „Θεσμοφοριάζουσαι“;[37]) in quibus eundem Phrynondam ille increpuisse fertur, quem Eupolis perstrinxerat in „Δήμοις“. Praeterea scholiasta provocat ad „Γηρυτάδην“,[38]) qua in comoedia Agatho, comptus ille et molliculus poëta tragicus, Aristophani ludibrio fuit. Porro commemorantur eiusdem poëtae „Ἱππεῖς,[39]) Ἐκκλεσιάζουσαι, Σφῆκες“;[40]) quibus in fabulis Ariphradem, Hyperbolum, Calliam derisos fuisse scholiasta adnotat. Sed si neglectis scholiis contemplabimur quae in dialogis suis de Phrynonda, Hyperbolo, Ariphrade, Callia Lucianus ipse tradidit, facile apparebit, hos omnes viros, vel in re publica Atheniensium vel ex comoediis ipsis pernotos, tam breviter tamque generaliter abhoc scriptore commemorari, ut, cum exempli gratia Calliam diceret „μειράκιον ἀχόλαστον“, famam magis de iis pervulgatam ille secutus esse putandus sit, quam certam unius poëtae comoediam. Ad nostram igitur quaestionem absolvendam ne ex illis quidem scholiastae adnotationibus fructus quidquam redundabit.

Ac ne de Phrynicho quidem et Platone, quos sese legisse in libris ipsis nullo loco Lucianus indicat, certi quidquam elici poterit ex scholiis. Quod apparet ex ea scholiastae adnotatione, quae exstat ad. l. pro merc. cond. c. 21. Ibi enim miselli isti paedagogi, qui e Graecia Romam migrabant frequentissimi, iis cum hominibus comparantur, quibus contraria semper obtingunt iis, quae ipsi concupiscunt, ut sensim ad deterius eorum res delabantur. Tum insequitur hoc: „καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν, ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα.“ Quod proverbium, ut ex schol. Barocc. et Marc. cognoscitur,[41]) Plato commemoraverat in „Δὶ κακουμένῳ.“ Fuit autem idem proverbium pervulgatum, id quod docent Zenobius et Alciphro.[42]) Quapropter non est, cur e Platone, poëta comico, Lucianum id sumpsisse putemus. Id enim in scholiis non traditur, an Platonis verba eadem fuerint, atque Lucianea.

Mediae et novae comoediae poëtarum fabulae in scholiis nullae memorantur. Id autem satis demonstrasse mihi videor, scholiastae Lucianei adnotationes, de quibus modo dixi, etsi per se

[36]) ibid. p. 47.
[37]) ibid. p. 140.
[38]) ibid. p. 222.
[39]) ibid. p. 335.
[40]) ibid. p. 47 et 170.
[41]) cf. schol. ap. Jacob. IV p. 112.
[42]) cf. Fritsch. ad h. l. in vol. I part. 2, p. 170.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάΐς“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam gravioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem iudicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi ὀραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „ἰαττατταιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

invenitur. Facillime autem fieri poterat, ut duae literae iis, quae insequuntur, plane consonae a librario omitterentur. Deinde illud παιάξ ne apud Lucianum quidem usquam reperitur, reperitur frequentius et παπαῖ et ὀττοτοῖ.[45]) Denique valde dubium est, an Lucianus — id quod Cobetus iudicasse videtur — ad Equit. Arist. versum 1. hoc loco respexerit: „ἰαττατταιὰξ τῶν κακῶν, ἰαττατταῖ." Ibi enim neque παπαῖ interiectio legitur neque ὀττοτοῖ. Quare multo probabilius mihi videtur, Lucianum, si omnino poëtae alicuius versum hoc loco ante oculos habuit, respexisse ad tragici cuiusdam verba, non comici, praesertim cum comoediae sermo interiectionem illam ὀττοτοῖ prorsus respuisse videatur. Certe non est, cur Luciani verba quae attuli ex Aristophaneo exemplo diffingantur.

Contra alius locus Lucianeus apte a Cobeto afferri potuit, quo ostenderetur, ex Eupolide quoque huius scriptoris verba uno loco corrigi posse. In Nigrin. enim c. 7 is amico cuidam narrat, adeo illius philosophi sermone sese esse commotum, ut ubique quamvis absentis Nigrini vocem audire sibi videretur. Tum haec verba adduntur: καὶ γάρ τοι κατὰ τὸν κωμικὸν, ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι;" quae cum scriberet, Luciano, ut supra dixi, Eupolidei versus obversati sunt ad Periclem ab illo relati, quorum ultimum attuli p. 10. Id Fritzschius[46]) quoque concessit; sed cum idem adderet: „at Eupolis hoc voluit, 'relinquere solebat', Lucianus non item," non recte mea quidem opinione iudicavit. Immo, quod ille laudaverat in Pericle, consulto Lucianus transtulit ad Nigrinum, scilicet id, ut non semel, sed saepius illum in audientium animis quasi stimulum quendam reliquisse indicaret. Qua explicatione probata et optime in Luciani verbis intelligitur participium imperfecti „τοῖς ἀκούουσι" — iis, qui quoque tempore audiebant — cui respondet Eupolideum illud „τοῖς ἀκροωμένοις", et ipsa Nigrini laus augetur. Quare ex Eupolidis verbis pro tradito aoristo „ἐγκατέλιπε", substitutum velim imperfectum „ἐγκατέλειπε", quod recte legitur in uno cod Florent. (Φ).

Sed ut ad Cobetum redeam, hic vir doctus sine dubio vere iudicavit de similitudine inter Aristophanem et Lucianum intercedente. Quamquam perpetuo ordine de iis locis, quibus comicorum et verba et color apud Lucianum agnoscuntur, non disseruit; ac ne Ziegelerus quidem (p. 28 sq.) omnia huc spectantia collegit.

---

[45]) cf. Hermot. c. 5, Char. c. 23. Catapl. c. 20.
[46]) cf. adnot. ad h. l. vol. II i. part. 2, p. 57.

Itaque ut a singulis vocabulis exordiar, inveniuntur apud Lucianum nonnullae vocabulorum formae, quas praeter comicos poëtas nullum scriptorem Graecum usurpasse video. Velut verbum „ἰδίειν" pro „ἰδροῦν" a veteribus comicis[47]) frequentius positum esse Stephanus testatur; atque idem vocabulum a Luciano, etsi in Lexiph. c. 2 ut obsoletum vituperatur, compluribus locis admissum est.[48]) Similiter verbum „σπαθᾶν", quod pro consumere vel profuse absumere unus usurpavit Diphilus,[49]) apud Lucianum eodem sensu positum reperitur in Gall c. 29. et in Prom. s. Cauc. c. 19., praeterea apud unum Alciphronem,[50]) Luciani imitatorem. Porro verbum „λημᾶν" et poëta ille comicus et Lucianus repetiisse videntur ex artis medicinae scriptoribus.[51]) Certe alii auctores eo verbo usi non sunt. Item ad comicorum exemplum in Luciani scriptis referam formas „ἐγχάσκειν" pro vulgari „ἐγχαίνειν,"[52]) „κυλίειν" et „κυλινδεῖν" pro „κυλίνδειν," quorum illud apud anonym. com. Mein. IV. p. 618 et in Aristoph. Vesp. v. 201. aeque occurrit, atque in Luc. l. de hist. conscr. c. 4.; hoc in Av. v. 525. legitur et saepius apud Lucianum.[53]) Addo verbum „κονίειν," quod pro usitato κονίζειν et Aristophanes posuit in Eccles. v. 291. et Lucianus in Cat. c. 3. et Tim. c. 45.

Accedunt aliae formae, quas grammatici solent dicere anomalas, velut accus. γέλων in incert. com. fragm. ap. Mein. II, p. 1176. et in Pseudolog. c. 2. et perfectum ἑόρακα, quod et apud Aristophanem in Nub. 768 invenitur et IV locis apud Alexin[53b]); quibus omnibus altera forma ἑώρακα metro reicitur. Lucianus autem illud ἑορακα a pedestri Atticorum sermone alienum admisit in deor. dial. VII c. 1 et alibi. Ac participium primi, qui dicitur, aoristi „λείψας", quod in verbis compositis a recentioris aetatis scriptoribus frequentatum est, post Aristophanem nulla praepositione praefixa uni Luciano excidit in lib. de Paras. c. 42.[54]) Huius generis formas — exstant enim aliae illarum similes, quas, cum ex recentioris graecitatis usu in huius scriptoris libros transierint, enumerare, ab hoc loco alienum est — longe plurimas Cobetus in Var. lect. inde a p. 128 vel prorsus Lu-

[47]) cf. Pac. v. 84, Ran. v. 238.
[48]) cf. Luc. pro laps. c. 1, de merc. cand. c. 15, Eun. c. 7.
[49]) cf. Jacobii indic. ad fragm. com. Graec. Mein. vol. V. p. 953.
[50]) cf. Alciphr. epist. ed. Mein. l. III. 34.
[51]) cf. Nub. 327, Plut. v. 581, Luc. dial. Mort. IX, 2.
[52]) cf. Vesp. v. 721 et Luc de Per. mort. c. 13.
[53]) dial. Mar. V 1., Pseudol. c. 3.
[53b]) cf. Jacobii indic., fragm. com. Graec. vol. V. part. 2, p. 713 sq.
[54]) cf. Lobeck. ad Phryn. p. 714 sq.

ciano derogavit vel nimis incuriose et negligenter ab eo positas esse contendit. Etenim ibidem p. 75 pronuntiavit, ex huius quoque scriptoris libris apparere, „quam negligenter et inepte plerique tum loquerentur, quam incredibilis socordia, quam foeda sermonis inscitia fuerit vel in doctissimis.“ Nec minus inclementer iudicavit, cum in eorum scriptorum numero Lucianum haberet,[55]) qui „antiquorum Atticorum sermonem, quem ad amussim referre satagerent, ipsi non satis tenuissent.“ Cohaeret autem id Cobeti iudicium de Graeculorum inscitia in aliis quoque commentationibus[56]) prolatum cum quaestione illa satis intricata, in verborum formis quantum apud inferioris aetatis auctores „κοινῆς,“ quam vocant, usui attribuere liceat, quantum per meram inscitiam scriptores ipsi admisisse, quantum librarii prave infersisse putandi sint. Hanc autem quaestionem absolvere et tironis vires superat, neque hoc loco aptum est. Sed cum earum quoque formarum partem, quas Luciano cum comicis communes esse dixi, Cobetus ei ademerit, velut quae ducuntur ab infinitivis κονίειν, κυλίειν, κυλινδεῖν,[57]) paucis exponam, quid iudicandum mihi videatur.

Captavit Lucianus Atticae dictionis elegantiam et sinceritatem, eamque magis suam fecit, quam quisquam recentioris graecitatis scriptor. Atque id Cobetus quoque persensit, cum veterum sanae et tersae dictionis anxium et diligentem exactorem Lucianum diceret.[58]) Quodsi nihilo minus is in syntaxi[59]) potissimum et in formis eorum verborum, quae dicunt „αὐθυπόταχτα“,[60]) a consueto genere dicendi Atticorum descivit, id non unius vitium fuit, sed aetatis in his quoque ad deteriora prolabentis. In universum autem Lucianum minime ignorasse, quid Atticis permissum esset quidve non liceret, ex eo sequitur, quod verborum formas suo arbitrio variabat et modo ad antiquorum normam flexas usurpabat, modo novicias; velut iuxta posuit „ἐπτόμην“ et „ἐπτάμην“, „ἔλιπον“ et „ἔλειψα“, „ἔγημα“ et „ἐγάμησα“. Huc accedit, quod peculiari in libello[61]) eos derisit, qui, cum aliorum soloecismos reprehenderent, ipsi propter ingenii mediocritatem ad veram sermonis elegantiam procedere nequirent, et ibidem certa

---

[55]) cf. Var. lect. p. 78.

[56]) cf. Mnemosyn. vol. p. p. 18 sq. et 169 sq., VII. p. 9 sq.

[57]) cf. Var. lect. p. 133 sq.

[58]) ibid. p. 76.

[59]) cf. Heller: die Absichtssätze bei Lucian, symbol. Joachim. 1880. p. 180 sqq. et. Ad. du Mesnil: dc Luciani grammatica, Stolp 1867.

[60]) cf. Lob. ad Phryn. p. 715, 726, 737 sq.

[61]) cf. lib. Ψευδοσοφίστης sive Σολοικιστής.

verborum discrimina aperuit, quibus aequales promiscue uti solebant.[62]) Quid igitur iudicabimus? Concedemusne Cobeto, permulta eaque inusitata Lucianum per inscitiam posuisse aut neglegentiam? Equidem id negaverim. Nam praeter illud variandi formas studium, quod apud hunc scriptorem observatur frequentissimum, aliam rem doctus ille Batavus mea quidem opinione non satis attendit. Fuit enim Lucianus rhetorum discipulus et ipse quoque per totam fere iuventutem fictas causas declamitavit. Ac dolendum quidem est, quod orationes Herodis Attici aliorumque, qui illa aetate Asiaticum dicendi genus coluerunt, ut Polemonis, Favorini, Scopeliani, Theagenis Cnidii adhuc superstites non sunt. Sed si consideratur et quod in Rhet. Luc. praec. c. 17. iuveni huius artis studioso a magistro ut maxime respiciendum commendatur,[63]) et quod in lib. de compos. verb.[64]) Dionysius Halicarnassensis tradit de Hegesia, Asianorum rhetorum principe, non inepte conicere licet, horum omnium re vera fuisse proprium, ut singularibus verbis et poëticis potissimum formis immiscendis orationes suas exornarent. Augebatur sane eius modi subsidiis dicendi rhythmus, quem Luciano teste magnopere illi captabant, cum praeciperent: „ἢν δὲ πότε καὶ ᾖσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα σοι ᾄδέσθω καὶ μέλος γιγνέσθω.“[65]) Atque ab horum rhetorum exemplis Lucianus, ipse rhetor, non in declamationibus solum pependit, sed etiam haud raro in libellis satiricis; id quod maxime apparet ex Timonis initio magnificis verbis et ampullis referto. Certe in varietate formarum adhibenda idem consilium Lucianus videtur esse secutus, quod aequales rhetores, scilicet ut neglectis, quae usitata erant, audientium vel legentium animos attenderent. Quodsi ea detrahuntur menda, quae in Luciani scripta irrepserunt librariorum oscitantia, veluti futurum „χαρίσω“ et sim., et nonnulla alia demuntur, quae caducae graecitatis contagione infectus ille fortasse nimis audacter dicere ausus est, nihil omnino hunc scriptorem peccasse putaverim deceptum imperitia. Immo, ratione et consilio a dicendi norma, quam Attici statuerant, recedebat, quoniam, ut ipse dicit in Lexiph. c. 22, noluit esse „ὑπεραττικός“.

Sed haec digressio fortasse longius extenta est; atqui praeter-

---

[62]) cf. Soloec. c. 10: „καὶ ταῦτα ἴσως μὲν ὑποσυγχέχυται, ἴσως δὲ καὶ ἀκριβοῦται παρά τισι· βέλτιον δὲ τὸ ἀκριβοῦν ἑκάστῳ.“

[63]) μέτει δὲ ἀκόρρητα καὶ ξένα ῥήματα καὶ σπανίακις εἰρημένα ὑπὸ τῶν παλαι et q. s.

[64]) cf. in Schaef. edit. c. 4 et 18. praeterea cf. Blass: die griech. Beredtsamk. von Alex. bis auf August. p. 31.

[65]) cf. Rhetor. praec. c. 19.

mittere eam non potui, quoniam sententia, quam modo explicui, aliqua ex parte id reicitur, quod de variarum dialectorum apud Lucianum usu Cobetus iudicavit. Atque hoc illud est, quod arctissime cohaeret cum imitatione comicorum. Ita enim res sese habet: Lucianus non ubique scriptis suis exprimere studebat sermonem Atticorum, sed ex aliis quoque dialectis nonnulla mutuatus est. Neque enim solum per plurimos Luciani libros passim formae Jonicae reperiuntur, ut persaepe „αὐτόθι", „οὐδαμόθι", „πανταχόθι", „ὧν" aliae, verum etiam exstant tres libelli Luciani nomine insigniti, quorum in duobus auctor sola dialecto Jonica usus est, cum tertii libri pars non exigua eandem dialectum exhibet. Inscribuntur autem hi libri sic: „περὶ ἀστρολογίης", περὶ τῆς Συρίης θεοῦ", „βίων πρᾶσις". Duo autem illi libri, quos superiore loco dixi, in dubio versatur, an genuinis Luciani scriptis accensendi sint. Sed etiamsi editorum consensui obtemperantes—convenit enim de his libris pseudolucianeis inter Dindorfium Bekkerum, Sommerbrodtium—subditiciis Luciani scriptis eos adnumeramus, restat tamen is libellus, qui inscribitur: „βίων πρᾶσις", sine dubio genuinus, in quo Pythagoras, Democritus, Heraclitus patrio, id est Jonico sermone usi doctrinam suam explicantes inducuntur.[66])

Aeolismi quoque, qui dicitur, vestigia in Luciani scriptis nonnulla inveniuntur; velut formae „ἄμπνευσον" et „καμμύειν", de quibus vide Lobeck. ad Phryn. p. 339 sq. E Dorica dialecto manarunt haec vocabula: „σύμβαμα,[67]) ῥήτρα,[68]) τέλεσμα[69])" pro Attico „δαπάνη"; praeterea duae invocationis formulae, ex quibus una „ὦ Δάματερ" in XII. meretr. dial. legitur et apud Luciani imitatorem, Alciphronem, in epist. b. II. 3 in Mein. edit. p. 31, altera „ὦ φίλτατον Ἑρμάδιον" exstat in Char. c. 1. Inveniuntur autem et illud „καμμύειν" et vocativus „Δάματερ" etiam apud comicos; quae res digna est, quae animadvertatur. Ac tota haec ratio posita in variarum dialectorum formis non solum sparsim ponendis, sed per totas fabularum particulas usurpandis quibus poëtis magis probata erat, quam comicis? Etenim eo tragoediarum et comoediarum scriptores inter se differebant, quod illi parcius tantum maximeque in chori carminibus verba et formas aliis ex dialectis depromptas fabulis intexebant, id agentes, ut divinam quandam heroicamque efficerent „μεγαλορρημοσύνην". Contra comici per continuas scenas peregrinos homines inducebant horrida verba

---

[66]) cf. Vitar. auct. c. 3, 4, 13, 14.
[67]) cf. Vit. auct. c. 21.
[68]) cf. Apol. pro merc. cond. c. 2.
[69]) cf. Jup. trag. c. 11, epist. Sat. c. 35.

hiantes et Atticae dialecti sinceritatem quasi in barbariem vertentes: ut in Acharn. Megarensis et Boeotus, in Thesmoph. Scytha, in Lysistr. Lacedaemonia illa mulier dissono vocis strepitu spectatorum risum movent. Atque haec ipsa ratio Luciano cum solis comicis communis est. Etenim is quoque comicam quandam festivitatem affectavit, cum ipsa dialecti selectione Jonicos illos philosophos quasi priscos et obsoletos sibi videri in Vitar. auct. significaret. Quare Cobeto non modo adstipulari non possum, in Var. lectt. p. 301 dicenti, inconcinne et ineleganter a Luciano aliarum dialectorum formas adscitas esse eundemque „ἰάζειν" ridicule, verum etiam hoc in genere consulto illum scriptorem comicos imitatum esse contendo

De formarum et dialectorum apud Lucianum varietate hac tenus. Venio nunc ad vocabulorum usum. Quo in genere haud ita multa, at certe commemoratu digna deducenda videntur esse a comicis.

Maxime enim Lucianus adamaverat deminutiva, quarum magnam partem, veluti „σκαφίδιον", „ξιφίδιον", „θεραπαινίδιον", „δοράτιον", ita usurpabat, ut a substantivorum, unde derivata erant, notione vix different, maiorem partem ita posuit, ut cum ironia vel cum contemptu loqueretur. Atque huic dicendi rationi quanta inesse possit illudendi vis et acies, cognoscitur, ut alios omittam, ex nonnullis de Paras. libro locis, quibus, ut vellicandi vim augeret, de industria Lucianus deminutiva coacervavit. Ut in c. 42, ubi de Lycurgi et Hyperidis oratorum ignavia haec scripta inveniuntur: „ἀλλ' οὐδὲ ὅλως ἐτόλμησαν ἔξω παρακύψαι, ἀλλ' ἐντειχίδιοι ἐκάθηντο γνωμίδια καὶ προβουλευμάτια συντιθέντες"; quem locum Alciphro reddidit in epist. l. III 22 p. 49. Similiter in lib. de Paras c. 43 de philosophante Socrate: „πολὺ γὰρ ἀστειότερον αὐτῷ ἐδόκει μετὰ τῶν μειρακυλλίων καθεζόμενον ἁρπάζειν καὶ σοφισμάτια προβάλλειν". Quibus locis alium addo ex Tim. c. 14. ubi de dominis avaris Juppiter ad Plutum haec dicit; „καὶ προσέτι γε καὶ κατεγέλας αὐτῶν . . . . . ἀγνοούντων δὲ, ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος παιδότριψ ὑπεισιὼν λαθραίως ἐμπαροινήσει τὸν κακοδαίμονα καὶ ἀνέραστον δεσπότην πρὸς ἀμαυρόν τι καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπαγρυπνεῖν ἐάσας τοῖς τόκοις". Atque haec deminutiva frequentandi ratio maxime probata erat poëtis comicis; et Aristophanes, prae ceteris in eius modi vocabulis fingendis feliciter audax, deminutivorum copia Graecum sermonem ditaverat. Certe is quoque persaepe cum irrisione quadam huius generis vocabula adhibuit. Sufficiat autem unum exemplum attulisse. In Nub. inde a v. 319 Strepsiades haec dicit:

„ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή μου πεπότηται, καὶ

λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν, καὶ γνωμιδίῳ γνώμην νύξας ἑτέρῳ λόγῳ ἀντιλογῆσαι". Quo loco, cum de disputandi argutiis, quas Nubes comparare soleant, agatur, non sine consilio poëta usurpavit deminutivum γνωμίδιον.

Praeterea alium deminutivorum usum in Luciani scriptis observavi, qui nescio an nullis aliis pedestris sermonis scriptoribus omnino vindicari possit. Per omnes enim fere dialogos satiricos illis substantivis Lucianus adiectiva quaedam ita addebat, ut deminutivorum notio plane sublata quasi quiesceret. Cuius rei haec exempla afferro: „νεογνὰ βρεφύλλια",[71]) μικρός τις ἀνθρωπίσκος",[72]) „σμικρὸν γερόντιον",[73]) „μικρὰ δοράτια".[74]) Mihi quidem haec quoque deminutivis utendi ratio, profecta fortasse ab usu quotidiano et consuetudine vulgari, repetita videtur a comicis.

II. Sequitur, ut exponam, locutionibus quibusdam et sententiis et versiculis repetitis quomodo comicae dictionis colorem Lucianus reddiderit.

Primo igitur loco singulae locutiones colligendae sunt, quas e comicorum poëtarum quasi thesauro Lucianus deprompsit et in suis horreis conditas habuit. Ut illud „ἐν ἀκαρεῖ χρόνου", quod legitur in Tim. c. 3. et leviter variatum[75]) in Char. c. 14. et Tim. c. 23., ex Aristoph. Pluto[76]) originem duxit, id quod Schwidopius suspicatus est in observ. Luc. specimine II. Similiter Aristophaneum colorem redolent, quae in Tim. c. 14., Juppiter de avaris dicit: „ἐς τὸ σημεῖον καὶ τὸν μόχλον ἀσκαρδαμυκτὶ βλέποντες"; quibus cum verbis apte comparatur versus ille, qui est in Equit. 292 ubi Paphlagon: „βλέψον εἰς μ' ἀσκαρδαμυκτί". Item locutionem, quae est „δριμὺ βλέπειν" et Aristophanes frequentavit[77]) et Lucianus [78]) eiusque imitator, Alciphro, in epist. III. 19.

Sed pleraque, quae huc spectant, iam a Schwidopio[79]) et Ziegelero allata sunt. Quo circa ne a messe ab aliis collecta demere videar, ea tantum proferam, quae ab illis omissa sunt. Peculiarem enim disquisitionem ii loci postulant, ad quos a scholiasta comici alicuius lo-

[71]) cf. Fugit. c. 19.
[72]) cf. Navig. c. 6.
[73]) Bacch. c. 3.
[74]) cf. Bacch. c. 1.
[75]) cf. ἐν ἀκαρεῖ τοῦ χρόνου.
[76]) cf. Plut. v. 244.
[77]) cf. Ran. v. 562.
[78]) Pseudol. c. 32, Conv. c. 16, Philops. c. 30.
[79]) cf. appendic. ad. II. observ. Luc. spec.

cutio comparanda adsciscitur. Huc spectat, quod in l. Prom. es in verb. c. 6. comoedia „φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας“ repraesentasse dicitur; nec minus recte Menippi verba ex Icarom. c. 5. hoc loco afferuntur, qui quidem „μετεωρολέσχην διδάσκεσθαι“ olim sese cupivisse cum pudore fatetur. Etenim ad superiorem illum locum scholiasta in cod. Witt.[80]) ad vocabulum „μετεωρολέσχης“ explicandum haec adnotat: „οἱ φλυαροῦντες τὰ μετέωρα, ἐν Νεφέλαις Ἀριστοφάνης“. Ad alterum locum ex Icarom. sumptum idem vocabulum de iis usurpari dixit, qui philosophantur[81]) „περὶ τῶν οὐρανίων“. Errasse autem scholiastam, cum hoc vocabulum: „μετεωρολέσχης“ Aristophani vindicaret, supra[82]) ostendi; sed nihilo secius liquet, consulto illis locis Lucianum verbis ab Aristophane positis sua reddidisse similia. Atque ex eodem fonte mea quidem opinione manavit vox „σκινδάλαμος“, quam plurali numero adhibito, ut orationem nimis subtilem et spinosam significarent, et Aristophanes in Nub. v. 130 et Ran. v. 819. usurpavit et Lucianus, — quem in epist. l. III. p. 64 Alciphro imitatus est — in dissert c. Hesiod. c. 5. Eandem originem manifestare videtur, quod Pseudologista ille in eiusdem libelli c. 11 his verbis a scriptore increpatur: „εἰπὲ γάρ μοι πρὸς Πανδήμου καὶ Γενετυλλίδων καὶ Κυβήβης, πῇ σοι μεμπτὸν καὶ γέλωτος ἄξιον τοὔνομα εἶναι ἔδοξεν ἡ ἀποφράς“; Nota enim est illa Γενετυλλίδων invocatio ex Aristoph. Thesmoph. v. 130, ubi deae generationis antistites sic a Mnesilocho in partes vocantur:

„ὡς ἡδὺ τὸ μέλος, ὦ πότνιαι Γενετυλλίδες.“

Consulto autem et Aristophanes Mnesilochum et Lucianus Pseudologistam, quem, ut apparet ex verbis „πρὸς Πανδήμου“, hic scriptor illudere voluit „εἰς ἀφροδίσια“, easdem deas invocantem fecit, quas implorare solebant mulieres Thesmophoria celebrantes. Accedunt duo alii loci, quibus in scholiis adnotatum est, locutionem esse Aristophaneam. Quorum unus est in lib. pro merc. cond. c. 7, ubi ad verba: „τρίβωνες ἐρώμενοι“ significari scholiasta addidit „τοὺς ἐγγεγυμνασμένους τινὶ πράγματι καὶ διὰ πολλῆς πείρας ἐληλακότας“.[83]) Simili enim sensu vocabulum „τρίβων“ Aristophanes posuit in Nub. v. 859. Alter locus in Catapl. c. 12, ubi obscoeno sensu pro „βινεῖν“ vel „ὑβριστικῶς ἀφροδισιάζειν“[84]) Lucianus usurpavit vocabulum „ὀποδεῖν“;

---

[80]) cf. schol. ap. Jacob. IV. p. 38.
[81]) schol. p. 198.
[82]) cf. p. 12.
[83]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 111.
[84]) ibid. p 105.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάϊς“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam gravioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem iudicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi δραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „ἰαττataιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

invenitur. Facillime autem fieri poterat, ut duae literae iis, quae insequuntur, plane consonae a librario omitterentur. Deinde illud παιάξ ne apud Lucianum quidem usquam reperitur, reperitur frequentius et παπαῖ et ὀττοτοῖ.[45]) Denique valde dubium est, an Lucianus — id quod Cobetus iudicasse videtur — ad Equit. Arist. versum 1. hoc loco respexerit: „ἰαττάταιἀξ τῶν κακῶν, ἰαττάταῖ." Ibi enim neque παπαῖ interiectio legitur neque ὀττοτοῖ. Quare multo probabilius mihi videtur, Lucianum, si omnino poëtae alicuius versum hoc loco ante oculos habuit, respexisse ad tragici cuiusdam verba, non comici, praesertim cum comoediae sermo interiectionem illam ὀττοτοῖ prorsus respuisse videatur. Certe non est, cur Luciani verba quae attuli ex Aristophaneo exemplo diffingantur.

Contra alius locus Lucianeus apte a Cobeto afferri potuit, quo ostenderetur, ex Eupolide quoque huius scriptoris verba uno loco corrigi posse. In Nigrin. enim c. 7 is amico cuidam narrat, adeo illius philosophi sermone sese esse commotum, ut ubique quamvis absentis Nigrini vocem audire sibi videretur. Tum haec verba adduntur: καὶ γάρ τοι κατὰ τὸν κωμικὸν, ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι;" quae cum scriberet, Luciano, ut supra dixi, Eupolidei versus obversati sunt ad Periclem ab illo relati, quorum ultimum attuli p. 10. Id Fritzschius[46]) quoque concessit; sed cum idem adderet: „at Eupolis hoc voluit, 'relinquere solebat', Lucianus non item," non recte mea quidem opinione iudicavit. Immo, quod ille laudaverat in Pericle, consulto Lucianus transtulit ad Nigrinum, scilicet id, ut non semel, sed saepius illum in audientium animis quasi stimulum quendam reliquisse indicaret. Qua explicatione probata et optime in Luciani verbis intelligitur participium imperfecti „τοῖς ἀκούουσι" — iis, qui quoque tempore audiebant — cui respondet Eupolideum illud „τοῖς ἀκροωμένοις", et ipsa Nigrini laus augetur. Quare ex Eupolidis verbis pro tradito aoristo „ἐγκατέλιπε", substitutum velim imperfectum „ἐγκατέλειπε", quod recte legitur in uno cod Florent. (Φ).

Sed ut ad Cobetum redeam, hic vir doctus sine dubio vere iudicavit de similitudine inter Aristophanem et Lucianum intercedente. Quamquam perpetuo ordine de iis locis, quibus comicorum et verba et color apud Lucianum agnoscuntur, non disseruit; ac ne Ziegelerus quidem (p. 28 sq.) omnia huc spectantia collegit.

---

[45]) cf. Hermot. c. 5, Char. c. 23. Catapl. c. 20.
[46]) cf. adnot. ad h. l. vol. II i. part. 2, p. 57.

Itaque ut a singulis vocabulis exordiar, inveniuntur apud Lucianum nonnullae vocabulorum formae, quas praeter comicos poëtas nullum scriptorem Graecum usurpasse video. Velut verbum „ἰδίειν" pro „ἰδροῦν" a veteribus comicis[47]) frequentius positum esse Stephanus testatur; atque idem vocabulum a Luciano, etsi in Lexiph. c. 2 ut obsoletum vituperatur, compluribus locis admissum est.[48]) Similiter verbum „σπαθᾶν", quod pro consumere vel profuse absumere unus usurpavit Diphilus,[49]) apud Lucianum eodem sensu positum reperitur in Gall c. 29. et in Prom. s. Cauc. c. 19., praeterea apud unum Alciphronem,[50]) Luciani imitatorem. Porro verbum „λημᾶν" et poëta ille comicus et Lucianus repetiisse videntur ex artis medicinae scriptoribus.[51]) Certe alii auctores eo verbo usi non sunt. Item ad comicorum exemplum in Luciani scriptis referam formas „ἐγχάσκειν" pro vulgari „ἐγχαίνειν,"[52]) „κυλίειν" et „κυλινδεῖν" pro „κυλίνδειν," quorum illud apud anonym. com. Mein. IV. p. 618 et in Aristoph. Vesp. v. 201. aeque occurrit, atque in Luc. l. de hist. conscr. c. 4.; hoc in Av. v. 525. legitur et saepius apud Lucianum.[53]) Addo verbum „κονίειν," quod pro usitato κονίζειν et Aristophanes posuit in Eccles. v. 291. et Lucianus in Cat. c. 3. et Tim. c. 45.

Accedunt aliae formae, quas grammatici solent dicere anomalas, velut accus. γέλων in incert. com. fragm. ap. Mein. II, p. 1176. et in Pseudolog. c. 2. et perfectum ἑόρακα, quod et apud Aristophanem in Nub. 768 invenitur et IV locis apud Alexin[53b]); quibus omnibus altera forma ἑώρακα metro reicitur. Lucianus autem illud ἑορακα a pedestri Atticorum sermone alienum admisit in deor. dial. VII c. 1 et alibi. Ac participium primi, qui dicitur, aoristi „λείψας", quod in verbis compositis a recentioris aetatis scriptoribus frequentatum est, post Aristophanem nulla praepositione praefixa uni Luciano excidit in lib. de Paras. c. 42.[54]) Huius generis formas — exstant enim aliae illarum similes, quas, cum ex recentioris graecitatis usu in huius scriptoris libros transierint, enumerare, ab hoc loco alienum est — longe plurimas Cobetus in Var. lect. inde a p. 128 vel prorsus Lu-

[47]) cf. Pac. v. 84, Ran. v. 238.
[48]) cf. Luc. pro laps. c. 1, de merc. cand. c. 15, Eun. c. 7.
[49]) cf. Jacobii indic. ad fragm. com. Graec. Mein. vol. V. p. 953.
[50]) cf. Alciphr. epist. ed. Mein. l. III. 34.
[51]) cf. Nub. 327, Plut. v. 581, Luc. dial. Mort. IX, 2.
[52]) cf. Vesp. v. 721 et Luc de Per. mort. c. 13.
[53]) dial. Mar. V 1., Pseudol. c. 3.
[53b]) cf. Jacobii indic., fragm. com. Graec. vol. V. part. 2, p. 713 sq.
[54]) cf. Lobeck. ad Phryn. p. 714 sq.

ciano derogavit vel nimis incuriose et negligenter ab eo positas esse contendit. Etenim ibidem p. 75 pronuntiavit, ex huius quoque scriptoris libris apparere, „quam negligenter et inepte plerique tum loquerentur, quam incredibilis socordia, quam foeda sermonis inscitia fuerit vel in doctissimis.“ Nec minus inclementer iudicavit, cum in eorum scriptorum numero Lucianum haberet,[55]) qui „antiquorum Atticorum sermonem, quem ad amussim referre satagerent, ipsi non satis tenuissent.“ Cohaeret autem id Cobeti iudicium de Graeculorum inscitia in aliis quoque commentationibus[56]) prolatum cum quaestione illa satis intricata, in verborum formis quantum apud inferioris aetatis auctores „κοινῆς,“ quam vocant, usui attribuere liceat, quantum per meram inscitiam scriptores ipsi admisisse, quantum librarii prave infersisse putandi sint. Hanc autem quaestionem absolvere et tironis vires superat, neque hoc loco aptum est. Sed cum earum quoque formarum partem, quas Luciano cum comicis communes esse dixi, Cobetus ei ademerit, velut quae ducuntur ab infinitivis κονίειν, κυλίειν, κυλινδεῖν,[57]) paucis exponam, quid iudicandum mihi videatur.

Captavit Lucianus Atticae dictionis elegantiam et sinceritatem, eamque magis suam fecit, quam quisquam recentioris graecitatis scriptor. Atque id Cobetus quoque persensit, cum veterum sanae et tersae dictionis anxium et diligentem exactorem Lucianum diceret.[58]) Quodsi nihilo minus is in syntaxi[59]) potissimum et in formis eorum verborum, quae dicunt „αὐθυπόταχτα“,[60]) a consueto genere dicendi Atticorum descivit, id non unius vitium fuit, sed aetatis in his quoque ad deteriora prolabentis. In universum autem Lucianum minime ignorasse, quid Atticis permissum esset quidve non liceret, ex eo sequitur, quod verborum formas suo arbitrio variabat et modo ad antiquorum normam flexas usurpabat, modo novicias; velut iuxta posuit „ἐπτόμην“ et „ἐπτάμην“, „ἔλιπον“ et „ἔλειψα“, „ἔγημα“ et „ἐγάμησα“. Huc accedit, quod peculiari in libello[61]) eos derisit, qui, cum aliorum soloecismos reprehenderent, ipsi propter ingenii mediocritatem ad veram sermonis elegantiam procedere nequirent, et ibidem certa

---

[55]) cf. Var. lect. p. 78.

[56]) cf. Mnemosyn. vol. p. p. 18 sq. et 169 sq., VII. p. 9 sq.

[57]) cf. Var. lect. p. 133 sq.

[58]) ibid. p. 76.

[59]) cf. Heller: die Absichtssätze bei Lucian, symbol. Joachim. 1880. p. 180 sqq. et. Ad. du Mesnil: dc Luciani grammatica, Stolp 1867.

[60]) cf. Lob. ad Phryn. p. 715, 726, 737 sq.

[61]) cf. lib. Ψευδοσοφίστης sive Σολοικιστής.

verborum discrimina aperuit, quibus aequales promiscue uti solebant.[62]) Quid igitur iudicabimus? Concedemusne Cobeto, permulta eaque inusitata Lucianum per inscitiam posuisse aut neglegentiam? Equidem id negaverim. Nam praeter illud variandi formas studium, quod apud hunc scriptorem observatur frequentissimum, aliam rem doctus ille Batavus mea quidem opinione non satis attendit. Fuit enim Lucianus rhetorum discipulus et ipse quoque per totam fere iuventutem fictas causas declamitavit. Ac dolendum quidem est, quod orationes Herodis Attici aliorumque, qui illa aetate Asiaticum dicendi genus coluerunt, ut Polemonis, Favorini, Scopeliani, Theagenis Cnidii adhuc superstites non sunt. Sed si consideratur et quod in Rhet. Luc. praec. c. 17. iuveni huius artis studioso a magistro ut maxime respiciendum commendatur,[63]) et quod in lib. de compos. verb.[64]) Dionysius Halicarnassensis tradit de Hegesia, Asianorum rhetorum principe, non inepte conicere licet, horum omnium re vera fuisse proprium, ut singularibus verbis et poëticis potissimum formis immiscendis orationes suas exornarent. Augebatur sane eius modi subsidiis dicendi rhythmus, quem Luciano teste magnopere illi captabant, cum praeciperent: „ἢν δὲ ποτε καὶ ᾄσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα σοι ᾀδέσθω καὶ μέλος γιγνέσθω.“[65]) Atque ab horum rhetorum exemplis Lucianus, ipse rhetor, non in declamationibus solum pependit, sed etiam haud raro in libellis satiricis; id quod maxime apparet ex Timonis initio magnificis verbis et ampullis referto. Certe in varietate formarum adhibenda idem consilium Lucianus videtur esse secutus, quod aequales rhetores, scilicet ut neglectis, quae usitata erant, audientium vel legentium animos attenderent. Quodsi ea detrahuntur menda, quae in Luciani scripta irrepserunt librariorum oscitantia, veluti futurum „χαρίσω“ et sim., et nonnulla alia demuntur, quae caducae graecitatis contagione infectus ille fortasse nimis audacter dicere ausus est, nihil omnino hunc scriptorem peccasse putaverim deceptum imperitia. Immo, ratione et consilio a dicendi norma, quam Attici statuerant, recedebat, quoniam, ut ipse dicit in Lexiph. c. 22, noluit esse „ὑπεραττικός“.

Sed haec digressio fortasse longius extenta est; atqui praeter-

---

[62]) cf. Soloec. c. 10: „καὶ ταῦτα ἴσως μὲν ὑποσυγχέχυται, ἴσως δὲ καὶ ἀκριβοῦται παρά τισι· βέλτιον δὲ τὸ ἀκριβοῦν ἑκάστῳ.“

[63]) μέτει δὲ ἀπόῤῥητα καὶ ξένα ῥήματα καὶ σπανίακις εἰρημένα ὑπὸ τῶν παλαι et q. s.

[64]) cf. in Schaef. edit. c. 4 et 18. praeterea cf. Blass: die griech. Beredtsamk. von Alex. bis auf August. p. 31.

[65]) cf. Rhetor. praec. c. 19.

ornatus est Aristophanes; interdum autem eximie „ὁ κωμικός“ dictus est Menander; id quod apparet ex Eustathii aliorumque recentiorum testimoniis.[26]) Versus autem comicorum illis verbis praemissis Lucianus citavit hosce: Musc. enc. c. 11: „ἡ Μυῖα ἔδακνεν αὐτὸν ἄχρι καρδίας“; Jup. trag. c. 32: „ἄγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων;“ ibidem c. 38: „τουτὶ μὲν ὑπομόχθηρον, ἄλλο μοι λέγε.“ Hic in enumerandis versibus subsistam. Etenim per se hi versiculi et Aristophanis esse possunt et Menandri; sed propter sententiae levitatem et mansuetudinem a Meinekio[27]) inter incertas Menandri fabulas relati sunt; ac mea quidem opinione probabiliter. Ut autem res proposita expediatur, alii versus tres respiciendi sunt. In dial. enim „Prom. es in verb.“ c. 2. legitur: „μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγοις εἶναι, ὡς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνα· φησὶ δὲ, οἶσθα, περὶ αὐτοῦ: „Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα“. Quem trimetrum magna cum probabilitate referunt ad Eupolin, qui ipse in comoedia „χρυσοῦν γένος“ Cleonem deriserat. Certe ipso argumento hic versus cognatus est iis, quos ex eadem Eupolidis fabula Meinekius collegit in hist. crit. p. 145. sq. Menandro autem hunc versiculum attribuere probabilitatis specie caret. Etenim nova comoedia, etsi non prorsus inter privatae vitae quasi parietes inclusa erat, rei publicae perturbationes et conversiones magis dolebat, quam castigabat. Quod autem gravissimum est, nulla exstant testimonia, quibus novae comoediae poëtae conviciis proscidisse tradantur vel eos viros, qui, cum vulgi imperium Athenis florere inciperet, comicorum acerbitatem experti erant, Cleonem dico, Hyperbolum, Alcibiadem. Quare Menandro ille versus abiudicandus est; Aristophanes autem an Eupolis eum fabricaverit, in dubio relinquitur.

Accedit alius locus in Nigr. c. 7, ubi haec leguntur de illo philosopho: „κατὰ τὸν κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι“. Quibus in verbis facile agnoscitur ille Eupolidis versus Periclis facundiam sic laudantis: „τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις“. Etenim hic poëta egregiis laudibus Periclis eloquentiam extulerat in comoedia „Δῆμοι“, in qua veteris rei publicae propugnatores, Solona, Miltiadem, Aristidem, Periclem ab inferis resuscitatos in scenam produxerat.

Denique illud „ὁ κωμικός“ in Jov. trag. c. 53. huic versui praefixum est: „οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ;“ qui disceptari omnino nequit, cui auctori accensendus sit.

Ex his, quae attuli, apparet, bis apud Lucianum praemissa

---

[26]) cf. Mein. fragm. com. Graec. vol. IV. p. 201 et 325.
[27]) cf. Mein. fragm. com. Graec. IV. p. 653.

formula „ὡς ὁ κωμικός“ ea verba citari, quae cum probabilitate neque ad Aristophanem referantur neque ad Menandrum, sed ad unum Eupolidem.[28]) Porro elucet, alium versum incertae originis iisdem verbis praefixis a Luciano afferri. Atque hoc illud est, quod suspicionem mihi movet et ad eam sententiam me adducit, ut nullum poëtam κατ' ἐξοχήν a Luciano dictum esse contendam „τὸν κωμικόν“, sed hoc nomen ab eo omnibus iis comicis tributum esse, quorum certae fabulae etiam Luciani aetate essent percognitae. Neque quidquam obstat, quominus, id quod supra significavi, existimemus, Lucianum ut Menandri eiusque aequalium comoedias spectando, ita legendo cognitas habuisse nonnullas fabulas et Eupolideas et Aristophaneas.

Restat, ut tertium illud fontium genus adeamus, quod praebere videantur scholia. Accuratius enim eae scholiastae Lucianei adnotationes rimandae sunt, quibus ad comici alicuius exemplum provocatur. In Alex. c. 4. de mendaci illo vaticinatore haec scripta inveniuntur: „τῶν ἐπὶ κακίᾳ διαβοήτων ἀκρότατος ἀπετελέσθη ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον ἢ Σώστρατον.“ Quem ad locum sic scholiasta adnotat:[29]) „οὗτοι (sc. οἱ Κέρκωπες) ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος .... ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις“ et paullo infra de Aristodemo: „ὁ Ἀριστόδημος δὲ μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν, ἀφ' οὗ καὶ ὁ πρῶκτος Ἀριστόδημος καλεῖται. Κρατῖνος Πανόπταις. Ἀριστόδημος ὡς ἀσχημονῶν ἐν τοῖς Κιμωνίοις ἀνὴρ ἐρειπίοις.“ At ex his verbis certi quidquam enucleari nequit ad eam quaestionem absolvendam, an re vera Lucianus Cratini comoedias a scholiasta prolatas perlegerit. Ita enim res sese habet. Illusit sine dubio Cratinus — id quod scholiasta diserte testatur — et Cercopes et Aristodemum, ut homines nefarios et dolosos. Sed neque Cercopes, versuti illi fraudatores, neque Aristodemus, effrenatae libidinis homo, uni Cratino ludibrio fuerunt; immo aliis quoque poëtis vellicandi materiam suppeditaverant.[30]) Ac Cercopas quidem „parasitorum et alapistarum quasi proavos“ in proverbium abiisse luculenter apparet ex Lobeckii commentatione „de Cobalis et Cercopibus“.[31]) Quare causa non est, cur, quae brevissime Lucianus de iis memoraverit, ea referantur ad unum Cratinum. Neque aliter de ea scholiastae adnotatione iudico, quae exstat ad Tim. c. 30. In hoc enim capite Plutus, quod iterum ad Timonem sibi redeundum sit, in-

---

[28]) cf. Prom. es in verb. c. 2, Nigr. c. 7.
[29]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 139 sq.
[30]) cf. Mein. vol. II. p. 1045.
[31]) cf. Lob. Aglaoph. p. 1296 sqq.

dignatus, haec ad Mercurium dicit: „ἐπεὶ ἦν γε ἀπολίπῃς με, Ὑπερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν. Quodsi scholiasta copiosius exponens de Hyperbolo et Cleone per comicos irrisis Cratini quoque mentionem facit, quippe qui Hyperbolum acerbitatis aculeis perstrinxerit in „Horis", ne id quidem, etsi per se verum, ad hanc quaestionem ullius momenti est, quoniam — id quod scholia ipsa confirmant — illum virum in re publica Atheniensium clarissimum et Aristophanes et Plato et prae ceteris, ut docet Meinekius,[32]) Eupolis virulenta acerbitate exagitaverant. — Restat locus ille in Vitar. auct. c. 16, ubi Socrates deorum nomina attestari veritus hocce iurat iusiurandum: „καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν." Ad haec enim verba scholiastes sive e schol. Plat. p. 331 sive e Photio p. 481 adscripsit hoc: „Ῥαδαμάνθυος ὅρκος οὗτος ὁ κατὰ κυνὸς ἢ χηνὸς ἢ πλατάνου ἢ κριοῦ ἢ τινος ἄλλου τοιούτου"; quibus verbis versiculos quosdam Cratini addidit ex „Cheironibus", qui ita Bergkio[33]) scribendi videbantur:

. . . . . „οἷσιν ἦν μέγιστος
ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων,"

a Fritzschio[34]) autem hunc in modum restituti sunt:

. . . . . „οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δὲ παντελῶς ἐσίγων."

Sed sive Fritzschii emendatio approbatur, sive — id quod mihi multo probabilius visum est — Bergkii maxime ad scholiastae verba: „οἷς (ἦν addidit Jacobitius) μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων, adaptata recipitur, id ad nostram quaestionem nihil facit. Etenim ex adnotatione scholiastae effici nequit, Lucianum, cum sollemne illud iusiurandum denotaret, ante oculos habuisse versus illos Cratineos. Quare ex iis, quae in scholiis de Cratini comoediis adnotata inveninntur, nullo modo comprobari potest, ullam huius poëtae comoediam Lucianum cognitam habuisse. Quae res eo minus mira videbitur, quod vetusti illius comici fabulas ne Alexandrinorum quidem aetate omnes superstites erant, nedum Luciani saeculo eas plures integras exstitisse credibile sit.

Venio nunc ad eas scholiastae adnotationes, quae et ad Eupolideas comoedias spectant et ad Aristophaneas. Illius enim poëtae fabulae memorantur hae: „Ἀστράτευτοι" et „Δῆμοι,[35]) in quibus Phry-

---

[32]) cf. hist. crit. p. 188.
[33]) cf. Comment. de reliqu. com. Attic. aut. p. 232.
[34]) cf. Fritzsch. adnot. ad Vit. auct. c. 16, vol. II. p. 59.
[35]) cf. ap. Jacob. vol. IV. p. 140.

nondam, „Πόλεις,[36]) qua in comoedia scholiasta teste auctor Hyperbolum illusit. Ex Aristophaneis fabulis hae afferuntur: „Ἀμφιάραος", „Προαγών", „θεσμοφοριάζουσαι";[37]) in quibus eundem Phrynondam ille increpuisse fertur, quem Eupolis perstrinxerat in „Δήμοις". Praeterea scholiasta provocat ad „Γηρυτάδην",[38]) qua in comoedia Agatho, comptus ille et molliculus poëta tragicus, Aristophani ludibrio fuit. Porro commemorantur eiusdem poëtae „Ἱππεῖς,[39]) Ἐκκλεσιάζουσαι, Σφῆκες";[40]) quibus in fabulis Ariphradem, Hyperbolum, Calliam derisos fuisse scholiasta adnotat. Sed si neglectis scholiis contemplabimur quae in dialogis suis de Phrynonda, Hyperbolo, Ariphrade, Callia Lucianus ipse tradidit, facile apparebit, hos omnes viros, vel in re publica Atheniensium vel ex comoediis ipsis pernotos, tam breviter tamque generaliter abhoc scriptore commemorari, ut, cum exempli gratia Calliam diceret „μειράκιον ἀχόλαστον", famam magis de iis pervulgatam ille secutus esse putandus sit, quam certam unius poëtae comoediam. Ad nostram igitur quaestionem absolvendam ne ex illis quidem scholiastae adnotationibus fructus quidquam redundabit.

Ac ne de Phrynicho quidem et Platone, quos sese legisse in libris ipsis nullo loco Lucianus indicat, certi quidquam elici poterit ex scholiis. Quod apparet ex ea scholiastae adnotatione, quae exstat ad. l. pro merc. cond. c. 21. Ibi enim miselli isti paedagogi, qui e Graecia Romam migrabant frequentissimi, iis cum hominibus comparantur, quibus contraria semper obtingunt iis, quae ipsi concupiscunt, ut sensim ad deterius eorum res delabantur. Tum insequitur hoc: „καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν, ἐπὶ Μανδροβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα." Quod proverbium, ut ex schol. Barocc. et Marc. cognoscitur,[41]) Plato commemoraverat in „Διὶ κακουμένῳ." Fuit autem idem proverbium pervulgatum, id quod docent Zenobius et Alciphro.[42]) Quapropter non est, cur e Platone, poëta comico, Lucianum id sumpsisse putemus. Id enim in scholiis non traditur, an Platonis verba eadem fuerint, atque Lucianea.

Mediae et novae comoediae poëtarum fabulae in scholiis nullae memorantur. Id autem satis demonstrasse mihi videor, scholiastae Lucianei adnotationes, de quibus modo dixi, etsi per se

[36]) ibid. p. 47.
[37]) ibid. p. 140.
[38]) ibid. p. 222.
[39]) ibid. p. 335.
[40]) ibid. p. 47 et 170.
[41]) cf. schol. ap. Jacob. IV p. 112.
[42]) cf. Fritsch. ad h. l. in vol. I part. 2, p. 170.

sine dubio rectae sint, nihil tamen valere ad hoc statuendum, quasnam comicorum fabulas hic scriptor integras legerit. Namque ipsius Luciani verba, ad quae scholia illa adiecta sunt, nimis tenuia et ipsae adnotationes exiliores sunt, quam ut certi quidquam ex iis liceat extricare.

Itaque tertium illud, quod adii, fontium genus nullius pretii est. Quamquam tota, quae scholiis praebetur, materia congerenda mihi erat et perlustranda, ut ostenderem, quibus in hac quaestione tractanda adminiculis utendum esset, quibusve abstinendum. Fortasse autem ex illis scholiastae adnotationibus, quae spectant ad comicos, aliquanto plus tum erui poterit, cum de scholiorum origine et fontibus res ad finem perducta erit. Omissis igitur scholiis nunc paucis complectar quod adhuc exposui.

Haud multa, ut docui, ex iis locis, quibus aut nominatim comicos quosdam Lucianus significavit aut ad certarum comoediarum argumenta allusit aut versus illorum poëtarum recepit, enucleari possunt ad dicudicandam eam quaestionem, quasnam comicorum fabulas hic scriptor cognitas habuerit. Attamen ex iis, quae adhuc protuli, aliquid lucratus sum. Hoc enim iam non poterit dubium esse, quin praeter anonymas illas comoedias, e quibus versiculos quosdam deprompserit, hae fabulae Luciano notae fuerint: Eupolidis „Βάπται“ et „Δῆμοι“, Aristophanis „Νεφέλαι“ et „Ὄρνιθες“, Antiphanis „Μαλθάκη“, „Θάϊς“ et „Κόλαξ“ Menandri; quibus cum dubitatione adicio Eupolidis „Κόλακες“. Qua ex re divinare licet, alias comicorum fabulas clarissimas ei ignotas non fuisse.

Iam substructo quasi fundamento latius licebit evagari et sententiam modo prolatam grayioribus argumentis fulcire.

Cap. II.

Altera opusculi mei pars posita est in explicanda, quae apud Lucianum conspicua est, comicorum poëtarum imitatione. Atque quod de epicis et tragicis poëtis, quos passim imitando Lucianus expressit, universe dicendum est, idem quadrat etiam in comicos. Neque enim iis in libellis, quos iuvenis scriptor confecit, declamationes dico rhetoricas, neque in senis Luciani scriptis comicorum imitatio tam longe patet, quam in libris satiricis a scriptore aetate valido compositis. Ac ne in satiricorum quidem librorum numero omnes pariter

colorem poëticum spirant; immo quos epistolarum ad amicos datarum ratione aut commentariorum continuo sermone explicavit, velut „epistolas Saturnales", „Peregrinum", „Alexandrum", duos „de vera historia libellos," eos, ut in dictione artius ad pedestris sermonis leges adstrictos, ita versibus quoque poëtarum et sententiis minus ubere ornatos invenias, quam quos fabularum ab histrionibus tamquam in scena agendarum more composuit, ut „Prometheum" sive „Caucasum", „Vitarum auctionem", „Catàplum", „Necyomanteam."

Complura autem apud Lucianum comicos imitandi genera inveniuntur, digna, quae singillatim pertractentur. Quod commodissime fieri poterit ita, ut affluentem rerum copiam ad certas quasdam classes revocem, initio facto ab iis imitationibus, quae continentur singulis vocabulis et vocabulorum formis e comicorum sermone in Luciani scripta translatis. Pergam autem ea ratione, ut exponam locutionibus quibusdam et sententiis et versibus repetitis, quo modo totum comicae poëseos colorem exprimere hic scriptor studuerit. Qua re absoluta disseram de argumentis comicorum more a Luciano et selectis et tractatis. Postremo de eius cavillandi rationibus verba faciam, et quidem maxime de parodiis; has enim ut potissimum comicorum proprias saepissime hic scriptor adhibuit.

I. Ac primum quidem, cum de vocabulorum formis et usu agitur, quae Lucianus repetiit a comicis, respicienda sunt ea, quae hanc in partem indicavit Cobetus. Is enim in Var. lectt. p. 110 hanc opinionem protulit: „Lucianus, ut ingenio sic dictione comicis et imprimis Aristophani similis, multa ei sublegit, quae nunc interpolando obscurata sunt; at possunt ex utriusque comparatione revocari in lucem." Tum nonnulli loci afferuntur, quibus Aristophaneo exemplo comparato leviusculas mutationes non sine probabilitate vir doctus proposuit; quas repetere hic supersedeo. Unum tamen locum, de quo seorsum a Cobeto cogito, retractandum eximam. In Fugit. enim c. 33, ubi δραπέται illi sic exclamant: „φεῦ τῶν κακῶν, φεῦ τῶν κακῶν, ὁτοττοῖ παπαῖ παπαιάξ," Cobetus pro παπαῖ παπαιάξ ex Aristophane revocandum censet „ἰαττατταιάξ".[43]) Quod mihi quidem non probatur. Primum enim in cod. Gorlic., qui in optimis Luciani libris est, legitur παπαὶ παιάξ[44]); quam scripturam Dindorfius eumque secutus Fritzschius una syllaba addita correxerunt in παπαῖ παπαιάξ; quoniam bisyllabum illud παιάξ apud neminem scriptorem Graecum

[43]) cf. Var. lectt. p. 210.

[44]) cf. Fritsch. adnot. crit. ad h. l. vol. p. II 276.

invenitur. Facillime autem fieri poterat, ut duae literae iis, quae insequuntur, plane consonae a librario omitterentur. Deinde illud παιάξ ne apud Lucianum quidem usquam reperitur, reperitur frequentius et παπαῖ et ὀττοτοῖ.[45]) Denique valde dubium est, an Lucianus — id quod Cobetus iudicasse videtur — ad Equit. Arist. versum 1. hoc loco respexerit: „ἰαττατταιὰξ τῶν κακῶν, ἰαττατταῖ." Ibi enim neque παπαῖ interiectio legitur neque ὀττοτοῖ. Quare multo probabilius mihi videtur, Lucianum, si omnino poëtae alicuius versum hoc loco ante oculos habuit, respexisse ad tragici cuiusdam verba, non comici, praesertim cum comoediae sermo interiectionem illam ὀττοτοῖ prorsus respuisse videatur. Certe non est, cur Luciani verba quae attuli ex Aristophaneo exemplo diffingantur.

Contra alius locus Lucianeus apte a Cobeto afferri potuit, quo ostenderetur, ex Eupolide quoque huius scriptoris verba uno loco corrigi posse. In Nigrin. enim c. 7 is amico cuidam narrat, adeo illius philosophi sermone sese esse commotum, ut ubique quamvis absentis Nigrini vocem audire sibi videretur. Tum haec verba adduntur: καὶ γάρ τοι κατὰ τὸν κωμικὸν, ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι;" quae cum scriberet, Luciano, ut supra dixi, Eupolidei versus obversati sunt ad Periclem ab illo relati, quorum ultimum attuli p. 10. Id Fritzschius[46]) quoque concessit; sed cum idem adderet: „at Eupolis hoc voluit, 'relinquere solebat', Lucianus non item," non recte mea quidem opinione iudicavit. Immo, quod ille laudaverat in Pericle, consulto Lucianus transtulit ad Nigrinum, scilicet id, ut non semel, sed saepius illum in audientium animis quasi stimulum quendam reliquisse indicaret. Qua explicatione probata et optime in Luciani verbis intelligitur participium imperfecti „τοῖς ἀκούουσι" — iis, qui quoque tempore audiebant — cui respondet Eupolideum illud „τοῖς ἀκροωμένοις", et ipsa Nigrini laus augetur. Quare ex Eupolidis verbis pro tradito aoristo „ἐγκατέλιπε", substitutum velim imperfectum „ἐγκατέλειπε", quod recte legitur in uno cod Florent. (Φ).

Sed ut ad Cobetum redeam, hic vir doctus sine dubio vere iudicavit de similitudine inter Aristophanem et Lucianum intercedente. Quamquam perpetuo ordine de iis locis, quibus comicorum et verba et color apud Lucianum agnoscuntur, non disseruit; ac ne Ziegelerus quidem (p. 28 sq.) omnia huc spectantia collegit.

---

[45]) cf. Hermot. c. 5, Char. c. 23. Catapl. c. 20.
[46]) cf. adnot. ad h. l. vol. II i. part. 2, p. 57.

Itaque ut a singulis vocabulis exordiar, inveniuntur apud Lucianum nonnullae vocabulorum formae, quas praeter comicos poëtas nullum scriptorem Graecum usurpasse video. Velut verbum „ἰδίειν" pro „ἰδροῦν" a veteribus comicis[47]) frequentius positum esse Stephanus testatur; atque idem vocabulum a Luciano, etsi in Lexiph. c. 2 ut obsoletum vituperatur, compluribus locis admissum est.[48]) Similiter verbum „σπαθᾶν", quod pro consumere vel profuse absumere unus usurpavit Diphilus,[49]) apud Lucianum eodem sensu positum reperitur in Gall c. 29. et in Prom. s. Cauc. c. 19., praeterea apud unum Alciphronem,[50]) Luciani imitatorem. Porro verbum „λημᾶν" et poëta ille comicus et Lucianus repetiisse videntur ex artis medicinae scriptoribus.[51]) Certe alii auctores eo verbo usi non sunt. Item ad comicorum exemplum in Luciani scriptis referam formas „ἐγχάσκειν" pro vulgari „ἐγχαίνειν,"[52]) „κυλίειν" et „κυλινδεῖν" pro „κυλίνδειν," quorum illud apud anonym. com. Mein. IV. p. 618 et in Aristoph. Vesp. v. 201. aeque occurrit, atque in Luc. l. de hist. conscr. c. 4.; hoc in Av. v. 525. legitur et saepius apud Lucianum.[53]) Addo verbum „κονίειν," quod pro usitato κονίζειν et Aristophanes posuit in Eccles. v. 291. et Lucianus in Cat. c. 3. et Tim. c. 45.

Accedunt aliae formae, quas grammatici solent dicere anomalas, velut accus. γέλων in incert. com. fragm. ap. Mein. II, p. 1176. et in Pseudolog. c. 2. et perfectum ἑόρακα, quod et apud Aristophanem in Nub. 768 invenitur et IV locis apud Alexin[53b]); quibus omnibus altera forma ἑώρακα metro reicitur. Lucianus autem illud ἑορακα a pedestri Atticorum sermone alienum admisit in deor. dial. VII c. 1 et alibi. Ac participium primi, qui dicitur, aoristi „λείψας", quod in verbis compositis a recentioris aetatis scriptoribus frequentatum est, post Aristophanem nulla praepositione praefixa uni Luciano excidit in lib. de Paras. c. 42.[54]) Huius generis formas — exstant enim aliae illarum similes, quas, cum ex recentioris graecitatis usu in huius scriptoris libros transierint, enumerare, ab hoc loco alienum est — longe plurimas Cobetus in Var. lect. inde a p. 128 vel prorsus Lu-

[47]) cf. Pac. v. 84, Ran. v. 238.
[48]) cf. Luc. pro laps. c. 1, de merc. cand. c. 15, Eun. c. 7.
[49]) cf. Jacobii indic. ad fragm. com. Graec. Mein. vol. V. p. 953.
[50]) cf. Alciphr. epist. ed. Mein. l. III. 34.
[51]) cf. Nub. 327, Plut. v. 581, Luc. dial. Mort. IX, 2.
[52]) cf. Vesp. v. 721 et Luc de Per. mort. c. 13.
[53]) dial. Mar. V 1., Pseudol. c. 3.
[53b]) cf. Jacobii indic., fragm. com. Graec. vol. V. part. 2, p. 713 sq.
[54]) cf. Lobeck. ad Phryn. p. 714 sq.

ciano derogavit vel nimis incuriose et negligenter ab eo positas esse contendit. Etenim ibidem p. 75 pronuntiavit, ex huius quoque scriptoris libris apparere, „quam negligenter et inepte plerique tum loquerentur, quam incredibilis socordia, quam foeda sermonis inscitia fuerit vel in doctissimis.“ Nec minus inclementer iudicavit, cum in eorum scriptorum numero Lucianum haberet,[55]) qui „antiquorum Atticorum sermonem, quem ad amussim referre satagerent, ipsi non satis tenuissent.“ Cohaeret autem id Cobeti iudicium de Graeculorum inscitia in aliis quoque commentationibus[56]) prolatum cum quaestione illa satis intricata, in verborum formis quantum apud inferioris aetatis auctores „κοινῆς,“ quam vocant, usui attribuere liceat, quantum per meram inscitiam scriptores ipsi admisisse, quantum librarii prave infersisse putandi sint. Hanc autem quaestionem absolvere et tironis vires superat, neque hoc loco aptum est. Sed cum earum quoque formarum partem, quas Luciano cum comicis communes esse dixi, Cobetus ei ademerit, velut quae ducuntur ab infinitivis κονίειν, κυλίειν, κυλινδεῖν,[57]) paucis exponam, quid iudicandum mihi videatur.

Captavit Lucianus Atticae dictionis elegantiam et sinceritatem, eamque magis suam fecit, quam quisquam recentioris graecitatis scriptor. Atque id Cobetus quoque persensit, cum veterum sanae et tersae dictionis anxium et diligentem exactorem Lucianum diceret.[58]) Quodsi nihilo minus is in syntaxi[59]) potissimum et in formis eorum verborum, quae dicunt „αὐθυπόταχτα“,[60]) a consueto genere dicendi Atticorum descivit, id non unius vitium fuit, sed aetatis in his quoque ad deteriora prolabentis. In universum autem Lucianum minime ignorasse, quid Atticis permissum esset quidve non liceret, ex eo sequitur, quod verborum formas suo arbitrio variabat et modo ad antiquorum normam flexas usurpabat, modo novicias; velut iuxta posuit „ἐπτόμην“ et „ἐπτάμην“, „ἔλιπον“ et „ἔλειψα“, „ἔγημα“ et „ἐγάμησα“. Huc accedit, quod peculiari in libello[61]) eos derisit, qui, cum aliorum soloecismos reprehenderent, ipsi propter ingenii mediocritatem ad veram sermonis elegantiam procedere nequirent, et ibidem certa

---

[55]) cf. Var. lect. p. 78.

[56]) cf. Mnemosyn. vol. p. p. 18 sq. et 169 sq., VII. p. 9 sq.

[57]) cf. Var. lect. p. 133 sq.

[58]) ibid. p. 76.

[59]) cf. Heller: die Absichtssätze bei Lucian, symbol. Joachim. 1880. p. 180 sqq. et. Ad. du Mesnil: dc Luciani grammatica, Stolp 1867.

[60]) cf. Lob. ad Phryn. p. 715, 726, 737 sq.

[61]) cf. lib. Ψευδοσοφίστης sive Σολοικιστής.

verborum discrimina aperuit, quibus aequales promiscue uti solebant.[62]) Quid igitur iudicabimus? Concedemusne Cobeto, permulta eaque inusitata Lucianum per inscitiam posuisse aut neglegentiam? Equidem id negaverim. Nam praeter illud variandi formas studium, quod apud hunc scriptorem observatur frequentissimum, aliam rem doctus ille Batavus mea quidem opinione non satis attendit. Fuit enim Lucianus rhetorum discipulus et ipse quoque per totam fere iuventutem fictas causas declamitavit. Ac dolendum quidem est, quod orationes Herodis Attici aliorumque, qui illa aetate Asiaticum dicendi genus coluerunt, ut Polemonis, Favorini, Scopeliani, Theagenis Cnidii adhuc superstites non sunt. Sed si consideratur et quod in Rhet. Luc. praec. c. 17. iuveni huius artis studioso a magistro ut maxime respiciendum commendatur,[63]) et quod in lib. de compos. verb.[64]) Dionysius Halicarnassensis tradit de Hegesia, Asianorum rhetorum principe, non inepte conicere licet, horum omnium re vera fuisse proprium, ut singularibus verbis et poëticis potissimum formis immiscendis orationes suas exornarent. Augebatur sane eius modi subsidiis dicendi rhythmus, quem Luciano teste magnopere illi captabant, cum praeciperent: „ἦν δὲ πότε καὶ ᾖσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα σοι ᾄδέσθω καὶ μέλος γιγνέσθω.“[65]) Atque ab horum rhetorum exemplis Lucianus, ipse rhetor, non in declamationibus solum pependit, sed etiam haud raro in libellis satiricis; id quod maxime apparet ex Timonis initio magnificis verbis et ampullis referto. Certe in varietate formarum adhibenda idem consilium Lucianus videtur esse secutus, quod aequales rhetores, scilicet ut neglectis, quae usitata erant, audientium vel legentium animos attenderent. Quodsi ea detrahuntur menda, quae in Luciani scripta irrepserunt librariorum oscitantia, veluti futurum „χαρίσω“ et sim., et nonnulla alia demuntur, quae caducae graecitatis contagione infectus ille fortasse nimis audacter dicere ausus est, nihil omnino hunc scriptorem peccasse putaverim deceptum imperitia. Immo, ratione et consilio a dicendi norma, quam Attici statuerant, recedebat, quoniam, ut ipse dicit in Lexiph. c. 22, noluit esse „ὑπεραττικός“.

Sed haec digressio fortasse longius extenta est; atqui praeter-

---

[62]) cf. Soloec. c. 10: „καὶ ταῦτα ἴσως μὲν ὑποσυγχέχυται, ἴσως δὲ καὶ ἀκριβοῦται παρά τισι· βέλτιον δὲ τὸ ἀκριβοῦν ἑκάστῳ.“

[63]) μέτει δὲ ἀκόρρητα καὶ ξένα ῥήματα καὶ σπανίαις εἰρημένα ὑπὸ τῶν παλαι et q. s.

[64]) cf. in Schaef. edit. c. 4 et 18. praeterea cf. Blass: die griech. Beredtsamk. von Alex. bis auf August. p. 31.

[65]) cf. Rhetor. praec. c. 19.

mittere eam non potui, quoniam sententia, quam modo explicui, aliqua ex parte id reicitur, quod de variarum dialectorum apud Lucianum usu Cobetus iudicavit. Atque hoc illud est, quod arctissime cohaeret cum imitatione comicorum. Ita enim res sese habet: Lucianus non ubique scriptis suis exprimere studebat sermonem Atticorum, sed ex aliis quoque dialectis nonnulla mutuatus est. Neque enim solum per plurimos Luciani libros passim formae Jonicae reperiuntur, ut persaepe „αὐτόθι", „οὐδαμόθι", „πανταχόθι", „ὧν" aliae, verum etiam exstant tres libelli Luciani nomine insigniti, quorum in duobus auctor sola dialecto Jonica usus est, cum tertii libri pars non exigua eandem dialectum exhibet. Inscribuntur autem hi libri sic: „περὶ ἀστρολογίης", περὶ τῆς Συρίης θεοῦ", „βίων πρᾶσις". Duo autem illi libri, quos superiore loco dixi, in dubio versatur, an genuinis Luciani scriptis accensendi sint. Sed etiamsi editorum consensui obtemperantes—convenit enim de his libris pseudolucianeis inter Dindorfium Bekkerum, Sommerbrodtium—subditiciis Luciani scriptis eos adnumeramus, restat tamen is libellus, qui inscribitur: „βίων πρᾶσις", sine dubio genuinus, in quo Pythagoras, Democritus, Heraclitus patrio, id est Jonico sermone usi doctrinam suam explicantes inducuntur.[66])

Aeolismi quoque, qui dicitur, vestigia in Luciani scriptis nonnulla inveniuntur; velut formae „ἄμπνευσον" et „καμμύειν", de quibus vide Lobeck. ad Phryn. p. 339 sq. E Dorica dialecto manarunt haec vocabula: „σύμβαμα,[67]) ῥήτρα,[68]) τέλεσμα[69])" pro Attico „δαπάνη"; praeterea duae invocationis formulae, ex quibus una „ὦ Δάματερ" in XII. meretr. dial. legitur et apud Luciani imitatorem, Alciphronem, in epist. b. II. 3 in Mein. edit. p. 31, altera „ὦ φίλτατον Ἑρμάδιον" exstat in Char. c. 1. Inveniuntur autem et illud „καμμύειν" et vocativus „Δάματερ" etiam apud comicos; quae res digna est, quae animadvertatur. Ac tota haec ratio posita in variarum dialectorum formis non solum sparsim ponendis, sed per totas fabularum particulas usurpandis quibus poëtis magis probata erat, quam comicis? Etenim eo tragoediarum et comoediarum scriptores inter se differebant, quod illi parcius tantum maximeque in chori carminibus verba et formas aliis ex dialectis depromptas fabulis intexebant, id agentes, ut divinam quandam heroicamque efficerent „μεγαλοῤῥημοσύνην". Contra comici per continuas scenas peregrinos homines inducebant horrida verba

---

[66]) cf. Vitar. auct. c. 3, 4, 13, 14.
[67]) cf. Vit. auct. c. 21.
[68]) cf. Apol. pro merc. cond. c. 2.
[69]) cf. Jup. trag. c. 11, epist. Sat. c. 35.

biantes et Atticae dialecti sinceritatem quasi in barbariem vertentes: ut in Acharn. Megarensis et Boeotus, in Thesmoph. Scytha, in Lysistr. Lacedaemonia illa mulier dissono vocis strepitu spectatorum risum movent. Atque haec ipsa ratio Luciano cum solis comicis communis est. Etenim is quoque comicam quandam festivitatem affectavit, cum ipsa dialecti selectione Jonicos illos philosophos quasi priscos et obsoletos sibi videri in Vitar. auct. significaret. Quare Cobeto non modo adstipulari non possum, in Var. lectt. p. 301 dicenti, inconcinne et ineleganter a Luciano aliarum dialectorum formas adscitas esse eundemque „ἰάζειν" ridicule, verum etiam hoc in genere consulto illum scriptorem comicos imitatum esse contendo

De formarum et dialectorum apud Lucianum varietate hac tenus. Venio nunc ad vocabulorum usum. Quo in genere haud ita multa, at certe commemoratu digna deducenda videntur esse a comicis.

Maxime enim Lucianus adamaverat deminutiva, quarum magnam partem, veluti „σκαφίδιον", „ξιφίδιον", „θεραπαινίδιον", „δοράτιον", ita usurpabat, ut a substantivorum, unde derivata erant, notione vix different, malorem partem ita posuit, ut cum ironia vel cum contemptu loqueretur. Atque huic dicendi rationi quanta inesse possit illudendi vis et acies, cognoscitur, ut alios omittam, ex nonnullis de Paras. libro locis, quibus, ut vellicandi vim augeret, de industria Lucianus deminutiva coacervavit. Ut in c. 42, ubi de Lycurgi et Hyperidis oratorum ignavia haec scripta inveniuntur: „ἀλλ' οὐδὲ ὅλως ἐτόλμησαν ἔξω παρακύψαι, ἀλλ' ἐντειχίδιοι ἐκάθηντο γνωμίδια καὶ προβουλευμάτια συντιθέντες"; quem locum Alciphro reddidit in epist. l. III 22 p. 49. Similiter in lib. de Paras c. 43 de philosophante Socrate: „πολὺ γὰρ ἀστειότερον αὐτῷ ἐδόκει μετὰ τῶν μειρακυλλίων καθεζόμενον ὀαρίζειν καὶ σοφισμάτια προβάλλειν". Quibus locis alium addo ex Tim. c. 14. ubi de dominis avaris Juppiter ad Plutum haec dicit; „καὶ προσέτι γε καὶ κατεγέλας αὐτῶν . . . . . ἀγνοούντων δὲ, ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος παιδότριψ ὀπεισιὼν λαθραίως ἐμπαροινήσει τὸν κακοδαίμονα καὶ ἀνέραστον δεσπότην πρὸς ἀμαυρόν τι καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπαγρυπνεῖν ἐάσας τοῖς τόκοις". Atque haec deminutiva frequentandi ratio maxime probata erat poëtis comicis; et Aristophanes, prae ceteris in eius modi vocabulis fingendis feliciter audax, deminutivorum copia Graecum sermonem ditaverat. Certe is quoque persaepe cum irrisione quadam huius generis vocabula adhibuit. Sufficiat autem unum exemplum attulisse. In Nub. inde a v. 319 Strepsiades haec dicit:

„ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή, μου πεπότηται, καὶ

λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν, καὶ γνωμιδίῳ γνώμην νύξασ' ἑτέρῳ λόγῳ ἀντιλογῆσαι". Quo loco, cum de disputandi argutiis, quas Nubes comparare soleant, agatur, non sine consilio poëta usurpavit deminutivum γνωμίδιον.

Praeterea alium deminutivorum usum in Luciani scriptis observavi, qui nescio an nullis aliis pedestris sermonis scriptoribus omnino vindicari possit. Per omnes enim fere dialogos satiricos illis substantivis Lucianus adiectiva quaedam ita addebat, ut deminutivorum notio plane sublata quasi quiesceret. Cuius rei haec exempla afferro: „νεογνὰ βρεφύλλια",[71]) μικρός τις ἀνθρωπίσκος",[72]) „σμικρὸν γερόντιον",[73]) „μικρὰ δοράτια".[74]) Mihi quidem haec quoque deminutivis utendi ratio, profecta fortasse ab usu quotidiano et consuetudine vulgari, repetita videtur a comicis.

II. Sequitur, ut exponam, locutionibus quibusdam et sententiis et versiculis repetitis quomodo comicae dictionis colorem Lucianus reddiderit.

Primo igitur loco singulae locutiones colligendae sunt, quas e comicorum poëtarum quasi thesauro Lucianus deprompsit et in suis horreis conditas habuit. Ut illud „ἐν ἀκαρεῖ χρόνου", quod legitur in Tim. c. 3. et leviter variatum[75]) in Char. c. 14. et Tim. c. 23., ex Aristoph. Pluto[76]) originem duxit, id quod Schwidopius suspicatus est in observ. Luc. specimine II. Similiter Aristophaneum colorem redolent, quae in Tim. c. 14., Juppiter de avaris dicit: „εἰς τὸ σημεῖον καὶ τὸν μόχλον ἀσκαρδαμυκτὶ βλέποντες"; quibus cum verbis apte comparatur versus ille, qui est in Equit. 292 ubi Paphlagon: „βλέψον εἰς μ' ἀσκαρδαμυκτί". Item locutionem, quae est „δριμὺ βλέπειν" et Aristophanes frequentavit[77]) et Lucianus [78]) eiusque imitator, Alciphro, in epist. III. 19.

Sed pleraque, quae huc spectant, iam a Schwidopio[79]) et Ziegelero allata sunt. Quo circa ne a messe ab aliis collecta demere videar, ea tantum proferam, quae ab illis omissa sunt. Peculiarem enim disquisitionem ii loci postulant, ad quos a scholiasta comici alicuius lo-

---

71) cf. Fugit. c. 19.
72) cf. Navig. c. 6.
73) Bacch. c. 3.
74) cf. Bacch. c. 1.
75) cf. ἐν ἀκαρεῖ τοῦ χρόνου.
76) cf. Plut. v. 244.
77) cf. Ran. v. 562.
78) Pseudol. c. 32, Conv. c, 16, Philops. c. 30.
79) cf. appendic. ad. II. observ. Luc. spec.

cutio comparanda adsciscitur. Huc spectat, quod in l. Prom. es in verb. c. 6. comoedia „φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας“ repraesentasse dicitur; nec minus recte Menippi verba ex Icarom. c. 5. hoc loco afferuntur, qui quidem „μετεωρολέσχην διδάσκεσθαι“ olim sese cupivisse cum pudore fatetur. Etenim ad superiorem illum locum scholiasta in cod. Witt.[80]) ad vocabulum „μετεωρολέσχης“ explicandum haec adnotat: „οἱ φλυαροῦντες τὰ μετέωρα, ἐν Νεφέλαις Ἀριστοφάνης“. Ad alterum locum ex Icarom. sumptum idem vocabulum de iis usurpari dixit, qui philosophantur[81]) „περὶ τῶν οὐρανίων“. Errasse autem scholiastam, cum hoc vocabulum: „μετεωρολέσχης“ Aristophani vindicaret, supra[82]) ostendi; sed nihilo secius liquet, consulto illis locis Lucianum verbis ab Aristophane positis sua reddidisse similia. Atque ex eodem fonte mea quidem opinione manavit vox „σκινδάλαμος“, quam plurali numero adhibito, ut orationem nimis subtilem et spinosam significarent, et Aristophanes in Nub. v. 130 et Ran. v. 819. usurpavit et Lucianus, — quem in epist. l. III. p. 64 Alciphro imitatus est — in dissert c. Hesiod. c. 5. Eandem originem manifestare videtur, quod Pseudologista ille in eiusdem libelli c. 11 his verbis a scriptore increpatur: „εἰπὲ γάρ μοι πρὸς Πανδήμου καὶ Γενετυλλίδων καὶ Κυβήβης, πῇ σοι μεμπτὸν κοὶ γέλωτος ἄξιον τοὔνομα εἶναι ἔδοξεν ἡ ἀποφράς“; Nota enim est illa Γενετυλλίδων invocatio ex Aristoph. Thesmoph. v. 130, ubi deae generationis antistites sic a Mnesilocho in partes vocantur:

„ὡς ἡδὺ τὸ μέλος, ὦ πότνιαι Γενετυλλίδες.“

Consulto autem et Aristophanes Mnesilochum et Lucianus Pseudologistam, quem, ut apparet ex verbis „πρὸς Πανδήμου“, hic scriptor illudere voluit „εἰς ἀφροδίσια“, easdem deas invocantem fecit, quas implorare solebant mulieres Thesmophoria celebrantes. Accedunt duo alii loci, quibus in scholiis adnotatum est, locutionem esse Aristophaneam. Quorum unus est in lib. pro merc. cond. c. 7, ubi ad verba: „τρίβωνες ἐρώμενοι“ significari scholiasta addidit „τοὺς ἐγγεγυμνασμένους τινὶ πράγματι καὶ διὰ πολλῆς πείρας ἐληλακότας“.[83]) Simili enim sensu vocabulum „τρίβων“ Aristophanes posuit in Nub. v. 859. Alter locus in Catapl. c. 12, ubi obscoeno sensu pro „βινεῖν“ vel „ὑβριστικῶς ἀφροδισιάζειν“[84]) Lucianus usurpavit vocabulum „ἀποδεῖν“;

---

[80]) cf. schol. ap. Jacob. IV. p. 38.
[81]) schol. p. 198.
[82]) cf. p. 12.
[83]) cf. schol. ap. Jacob. vol. IV. p. 111.
[84]) ibid. p 105.

quem vocabuli usum Aristophaneum esse[85]) recte in scholiis adscriptum est.

Altero loco de ea ratione disseram, qua usus Lucianus continuas comicorum sententias in libros suos transferebat. Magnopere enim hic scriptor eam consuetudinem adamaverat, ut sententias, quas illi oratione numeris adstricta expresserant, eas paraphrasi quadam soluta numeris redderet. Hoc modo Homeri potissimum versiculos circumscribebat, ut in Char. c. 7, ubi portitor Mercurio narrat, caecum illum vatem, cum infernum flumen traiceret, cecinisse: „ὡς ὁ Ποσειδῶν συνήγαγε τὰς νεφέλας καὶ ἐτάραξε τὸν πόντον ὥσπερ τορύνην τινὰ ἐμβαλὼν τὴν τρίαιναν καὶ πάσας τὰς θυέλλας ὠρόθυνε“ et q. s. Quibus in verbis facile agnoscas versus Odyss., qui exstant in l. V. inde a v. 219: „ὡς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον“ etc. Prorsus eiusdem generis est, quod in Piscat. exordio philosophorum turbam impudentem Syrum convicturam Lucianus hisce verbis in scenam proruentem fecit: „βάλλε βάλλε τὸν κατάρατον ἀφθόνοις τοῖς λίθοις. ἐπίβαλλε τῶν βώλων. προσεπίβαλλε καὶ τῶν ὀστράκων. παῖς τοῖς ξύλοις τὸν ἀλιτήριον“. Quem locum non recte Ziegelerus numerasse videtur inter parodias, quoniam nullum hic conspicuum est satiricum acumen. Etenim nihil aliud scriptor sibi voluit, nisi senum Achārnensium verba circumscribere, quae illi Dicaeopolin persecuti exclamant in Aristoph. com. inde a v. 281:

„βάλλε βάλλε βάλλε βάλλε,
παῖς πᾶς τὸν μιαρόν
οὐ βαλεῖς; οὐ βαλεῖς;“

Similiter illud: „περὶ Χάρωνος δ' οὐδεὶς λόγος“, quod in eiusdem dialogi fine legitur,[86]) nihil aliud est, nisi imitatio pedestri sermone expressa eius dicti, quo Xanthias utitur in Ran. v. 87: „περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος“.

Nec minus facete ad Aristophanis exemplum confictum videtur esse id, quod in Prom. s. Cauc. c. 19 hic Titan dicit, propterea potissimum hominibus igni opus esse, ut ture et odoribus vias implere possint: „ὅπως ἔχοιεν κνισᾶν τὰς ἀγυιάς“. Quibus cum verbis apte comparatur et Equit. v. 1320, ubi chorus sic ex Agoracrito quaerit: „τίν' ἔχων φήμην ἀγαθὴν ἥκεις ἐφ' ὅτῳ κνισῶμεν ἀγυιάς“; et quod Iris dicit in Av. 1230 sqq.

---

[85]) Thesmoph. v. 492, Eccles. v. 908.
[86]) c. Char. c. 24.

„ἐγώ; πρὸς ἀνθρώπους πέτομαι παρὰ τοῦ πατρὸς
φράσουσα θύειν τοῖς ὀλυμπίοις θεοῖς
μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις
κνισᾶν τ' ἀγυίας".

Videtur autem haec formula e sermone sacerdotali concepta magnifice et sollemniter ab utroque de quo agitur scriptore usurpata esse; a quotidiano sermone sane aliena est. Nec minus apte hic componi possunt Pluti verba in Tim. c. 12: „καὶ μονονουχὶ διχράνοις ἐξεώθει με τῆς οἰκίας" cum Mercurii verbis in Pac. v. 637:

„τήνδε μὲν διχροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεχράγμασιν"; praeterea locus ille in l. adv. iud. c. 1: „ἦ πόθεν γάρ σοι διαγνῶναι δυνατόν, τίνα (sc. βιβλία) μὲν παλαιὰ καὶ πολλοῦ ἄξια, τίνα δὲ φαῦλα καὶ ἄλλως σαπρά, εἰ μὴ τῷ διαβεβρῶσθαι καὶ κατακεκόφθαι αὐτὰ τεκμαίρει καὶ συμβούλους τοὺς σέας ἐπὶ τὴν ἐξέτασιν παβαλαμβάνεις" cum illius mulieris verbis in Lysistr. v. 729 sq:

„οἴκοι γάρ ἐστιν ἔριά μοι μιλήσια
ὑπὸ τῶν σέων κατακοπτόμενα".

Porro in dial. mort. V. c. 2. Pluton sic ex Mercurio sciscitatur: „οὐκοῦν ὁ μὲν ἀποδυσάμενος τὸ γῆρας ὥσπερ Ἰόλεως ἀνηβησάτω" etc.; quibus cum verbis non inepte confertur Pac. v. 336: μᾶλλον (sc. ἥδομαι) ἢ τὸ γῆρας ἔκδὺς ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα". Hic omnibus, quos attuli, locis Lucianus de industria expressisse videtur comicae dictionis colorem.

Certe poëtarum sententiis et versibus hunc in modum vel circumscribendis vel libere variandis Lucianus adauxit dictionis rhythmum, quem maxime eius proprium fuisse recte cognoverunt Fritzschius[87]) et Wichmannus.[88])

De versibus, quos Lucianus a comicis repetiit, non est, cur fusius hoc loco disseram. Nam, quos integros ab iis deprompsit, in superiore huius opusculi parte collegi; ii autem comicorum versiculi, quos leviter mutatos in suum usum ascivit, opportunius afferentur, cum de parodiis explicabitur.

III. Tertio loco dicendum est de ea similitudine, quam in argumentis et seligendis et tractandis esse Luciano cum comicis poëtis perspicuum est.

---

[87]) Fritzsch. comment. de numeris pedestribus, in vol. III parte 2, p 106.

[88]) cf. Zeitschrift für deutsches Gymnasialwesen, Jahrgang 1880 p. 380.

Sed priusquam ad ipsam rem propositam accedo, pauca praemittenda sunt de ea ratione, quae inter Lucianum intercesserit et eum, ad quem multis in dialogis irrisoris partes detulit, Menippum dico Gadarenum. Quem imitari sese solitum esse aperte hic scriptor indicat in Piscat. c. 26, ubi Diogenes Parrhesiadi exprobrat hoc: „ἔτι καὶ Μένιππον ἀναπείσας ἑταῖρον ἡμῶν ἄνδρα ξυγχωμφδεῖν αὐτῷ τὰ πολλά“ et q. s.; praeterea in Bisaccus. c. 33, ubi Dialogus: „τελευταῖον δὲ καὶ Μενιππόν τινα τῶν παλαιῶν κυνῶν μάλα ὀλακτικὸν ὡς δοκεῖ καὶ χάρχαρον ἀνορύξας καὶ τοῦτόν ἐπεισήγαγέ μοι φοβερόν τινα ὡς ἀληθῶς κύνα καὶ τὸ δῆγμα λαθραῖον, ὅσῳ καὶ γελῶν ἅμα ἔδακνεν“. Ac de vita et scriptis huius Cynici praeter ea, quae in proleg. ad II. ed. vol. part. alteram p. 35 sq. Fritzschius attulit,[89]) praesto mihi erat dissertatio diligenter ab H. Wildenowio[90]) composita. Quo in opusculo maxime quae ad formam saturae Menippeae pertinent Varronis reliquiis in comparationem vocatis recte auctor videtur indagasse; sed ea in re non prorsus recte mea quidem opinione iudicavit, quod in argumentis tractandis nimium apud Lucianum tribuit imitationi Menippi, comicorum poëtarum imitationi tribuit parum. Secutus est enim Lucianus Menippum non in dialogorum argumentis, sed in forma ex pedestri oratione et versibus conflata. Ac profecto talem fuisse sermonem Menippeum et Varronis fragmenta documento sunt et magna cum probabilitate suspicari licet ex nonnullis Luciani dialogis, in quibus prosa oratio cum poëtica libere mixta est.[91]) De argumentis autem saturarum Minippearum multa admodum obscura sunt, quoniam ne tituli quidem a Diogene Laërtio[92]) collecti disceptari possit an omnes sint genuini. Quapropter cavendum est, ne testimoniis deficientibus temere iudicetur ac potius id tenendum, fragmenta Menippi exstare omnino nulla.

Redeo iam ad id,—quod propositum est. Argumenta enim a comicis inventa triplici modo Lucianus imitando exprimebat. Primum epicorum et tragicorum fabulas, quas multo ante mediae et novae comoediae poëtae in ridiculum verterant, satirico more ita retractabat, ut efficeret parodias. Deinde ex veterum comoediis aut singulas cogitationes festive prolatas aut particulas et scenas libris suis apte inserebat. Denique — id quod ad mediae et novae comoediae imitationem pertinet — certa

---

[89]) cf. comment. „de Menippi satirici ducibus et auctoribus“.
[90]) Hal. Saxon. 1881.
[91]) cf. Luc. Icarom., Conviv., Jov. conf. et trag.
[92]) cf. l. VI c. 101.

quaedam hominum genera, quae illi irridere solebant, velut meretrices et parasitos, prorsus ad comicorum descriptionem accommodate depingebat. Ac de mythicis argumentis illorum more a Luciano retractatis satius disputabitur, cum de parodiis dicendum erit. Accedo igitur ad reliquas argumentorum imitationes, quas hic scriptor repetiit a comicis.

„Rhetorum" Luciani „praeceptorem" qui accurate perlegerit, miram sententiarum aequabilitatem statui posse concedet cum scenis quibusdam in Aristophanis „Nubibus". Iam enim in I. Lucianei dialogi cap. eo consilio iuvenem sese adiisse rhetorum ille praeceptor suspicatur, ut inter Graecos inclaresceret; quod docent eius verba: „ἀβίωτα γὰρ εἶναί σοι φῄς, εἰ μὴ τοιαύτην τινὰ τὴν δύναμιν περιβάλοιο ἐν τοῖς λόγοις ὡς ἄμαχον εἶναι καὶ ἀνυπόστατον καὶ θαυμάζεσθαι πρὸς ἁπάντων καὶ ἀποβλέπεσθαι, περισπούδαστον ἄκουσμα τοῖς Ἕλλησι δοκοῦντα". Quorum verborum sententia eadem fere est, quae in Nub. v. 412 sq.; ubi chorus Strepsiadem sic alloquitur:

„ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας, ἄνθρωπε, παρ' ἡμῶν,
ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι διάξεις".

Sed cogitationum consensus etiam speciosior est in aliis.

In Luciani enim dialogo inde a c. 7. duae, quae ad veram celebritatem ferant, viae artis rhetoricae studiosis proponuntur; quarum unam difficilem esse ac spinosam; quam qui ingressus sit, ei multum sudoris laborisque esse impendendum. Alteram, planam et aequam, facile et iniri et absolvi. Ita autem res a scriptore instituta est, ut rhetorum ille praeceptor duos viros fingeret deinceps verba facientes; quorum in vicem uterque discipulum ad se ipsum allicere conatur. Similiter in „Nubibus" inde a v. 889. „ὁ δίκαιος λόγος" et „ἄδικος" suis dicendi vivendique rationibus commendandis Phidippidem conciliare student. Atque ut apud poëtam comicum veteris disciplinae defensor quasi luctatur cum homine novi aevi eruditione depravato, ita in Luciani libello antiquorum rhetorum virtutibus opponuntur praecepta recentiorum; superior autem discedit hic molliculus praeceptor, illic „ὁ ἄδικος λόγος". Nec fortuito factum puto, ut apud utrumque non modo cum contemptu dicatur de iis, qui pervigilia et gymnasiorum labores[93]) discipulis imponant, verum etiam ipsa adhortationum summa inter se simillima evaserit. Sic enim apud Aristophanem loquitur „ὁ ἄδικος λόγος":
v. 1877 sqq. . . . . ἐμοὶ δ' ὁμιλῶν

[93]) cf. Nub. v. 416, 1000 sq. 1036 sq. et Luc. lib. c. 9.

χρῶ τῇ φῦσει, σκίρτα, γέλα, νόμιζε μηδὲν αἰσχρόν.
μοιχὸς γὰρ ἦν τύχῃς ἁλούς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτόν,
ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας".

Quibus a verbis haud ita longe discrepat id, quod apud Lucianum blandiloquus iste praeceptor iuveni studioso proponit in c. 25: „τὰ δ' ἄλλα χρὴ θαῤῥεῖν· ἡ τόλμα γὰρ καὶ ἡ ἀναισχυντία καὶ τὸ ψεῦδος πρόχειρον καὶ ὅρκος ἐπ' ἄκροις ἀεὶ τοῖς χείλεσι καὶ φθόνος πρὸς ἅπαντας καὶ μῖσος καὶ βλασφημίαι καὶ διαβολαὶ πιθαναί".

Icaromenippi autem Lucianei argumentum una ex parte cognatum est ei, quod Aristophanes tractaverat in initio „Avium"; altera ex parte mirum in modum congruit cum Pacis quadam scena. Consilium enim Menippei itineris per aëra et caelum facti simillimum est ei, quo Pithetaerus et Euelpides adducuntur, ut ad „ἔποπα" ventosumque avium regnum iter suscipiant. Ut enim Pithetaerus eiusque comes turbulentos cives fugiunt rerum publicarum taedio victi[94]) et Athenis discedunt ad conquirendam vitam quietam, ita Icaromenippus eam ob causam ad superos ipsos ascendit, quod in aequalium ratione philosophandi adeo non potest acquiescere, ut ab Jove ipso sciscitandum ei videatur, quidnam vir prudens iudicare debeat de philosophorum placitis.[95]) Similiter Trygaeus ad deos evolat, ut exploret, quid de Graecis Juppiter constituerit.[96]) Ea autem descriptio, qua Icaromenippus ad ipsam deorum sedem pervenisse fertur, mirum in modum congruit cum Trygaei apud superos adventu. Namque et apud Aristophanem et apud Lucianum Mercurius pulsantibus fores aperit idemque deus in „Pace" ex Trygaeo,[97]) quisnam et unde natus sit, sciscitatur, in Luciani dialogo ex Icaromenippo.[98]) Certe totum huius libelli Lucianei argumentum, ab aëronautis, ut ita dicam, repetitum, imprimis manavit ex imitatione Aristophanis.

In „Necyomantiae" autem argumento, quamquam ex Homeri aliorumque, fortasse Menippi ipsius, „Νεκυίαις" nonnulla ab hoc scriptore deprompta sunt, haud pauca tamen eaque speciosa referam ad exemplum Aristophanium. Ut in I. huius dial. c. Philonides mirum Cynici illius ex Orco reducis habitum iocose miratur, similiter atque in Ran. v. 46. Hercules ridet, ubi mollem deum pelle leonina in-

---

[94]) cf. Av. v. 33 sq.
[95]) cf. Icarom. c. 10.
[96]) cf. Pac. v. 105 sq.
[97]) cf. Pac. v. 186.
[98]) Icarom. c. 22.

dutum conspexit.[99]) Percontanti autem Philonidi, quanam causa adductus in Orcum Cynicus descenderit, primum iocans Menippus respondet verbis usus Euripideis, quae Stobaeo teste[100]) exstabant in huius poëtae „Andromeda": „νεότης μ'ἐπῆρε καὶ θράσος τοῦ νοῦ πλέον"; deinde quasi ad severiora se convertens sic pergit: „ὦ φιλότης, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο". Iisdem igitur fere verbis Menippei itineris consilium significatur, atque Ulixis κατα βάσεως in Odyss. l. XI. v. 164. Nec minus apte, quam Homerica, hic in comparationem vocantur verba Aristophanea, quae leguntur in Ran. v. 65 sq.: „τοιουτοσὶ τοίνυν με δαρδάπτει πόθος — Εὐριπίδου". Ibi enim consulto Bacchus suam sententiam effinxisse videtur ad similitudinem Ulixis. Tum in narrationis processu[101]) Mithrobarzanes magus eiusque comes, Menippus, apertis Orci ianuis Plutonis regiam conspiciunt et Cerberum ululantem exaudiunt. Qui postquam carmine a Menippo decantato placatus est, ad lacum infernum illi procedunt. Tum vero Charon leoninam pellem veritus et Herculem sese aspicere arbitratus libenter eos excipit exceptosque scapha traicit. Atque in hac descriptionis parte multa a Luciano ad Aristophanis exemplum conficta sunt. Namque apud hunc poëtam heroicum ornatum deus assumit, ut Herculis specie simulata timorem Orci custodibus iniciat; item Menippus prosperius res sibi cessuras sperat,[102]) si eodem apparatu instructus sit. Praeterea aliam rem conferendam propono. Ut enim Menippus expavescit inferni regni terrores conspiciens et Cerberi ululatum exaudiens, ita in Ranis[103]) Baccho eiusque famulo timorem excitat „ἔμπουσα", monstrum illud horribile et varias in formas se commutans. Nec non in eo apud Lucianum[104]) Aristophanis imitatio cernitur, quod pellem leoninam qui gestat, eum traicere Charon paratus est.

„Timonis" quoque Lucianei argumentum maxima ex parte sumptum est a comicis, sed non ita, ut unum poëtam ceteris neglectis Lucianus imitatus sit. Etenim iam Phrynichus eam comoediam, cui „Μονότροπος" inscripsit, aut in Timonem ipsum composuerat aut in eos, qui osoris illius hominum famam affectabant. Qua in comoedia Timonem descriptum esse ut hominem morosum et austerum, docent caelibis illius verba in lex. Sang. Ruhnk. ad Hym. Hom Cer. v. 200 servata, quae Fritzschius sic emendavit:

---

[99]) Herc. verb. in Ran. v. 46: ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.
[100]) cf. Florileg. LII. 2.
[101]) Necyomant. c. 10.
[102]) ibid. c. 8.
[103]) cf. Ran. v. 285 sqq.
[104]) cf. Necyom. in fine c. 10.

„ὄνομα δὲ μοῦσι Μονότροπος
. . . . ζῷ δὲ Τίμωνος βίον
ἄγαμον, ἄδουλον, ὀξύθυμον, ἀπρόσοδον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα."

Sed cum quaecunque ad Timonem spectant comicorum testimonia a Tib. Hemsterhusio[105]) et Fritzschio[106]) peculiaribus commentationibus collecta tractataque sint, cumque Ziegelerus quoque p. 23 sq. nonnulla recte observaverit de Aristophanis „Pluto" in Luciani dialogo expresso, paucis rem absolvere potero. Perlustrantes enim quae a comicis[107]) de Timonis moribus tradita sunt, tria potissimum vitia illos ei attribuisse invenient. Primum luxuriam et insanum meretricum amorem; deinde animi austeritatem et morositatem, denique universi generis humani odium et contemptionem. Quae vitia a Phrynicho, Aristophane, Antiphane notata aperte apud Lucianum agnoscuntur; ac mea quidem sententia is novam huic osori hominum maculam aspersit omnino nullam. Etenim ne iis quidem locis, ubi deorum contemptorem Timonem descripsit totumque acerbitatis virus in Jovem ipsum illic quasi evomentem finxit,[108]) quidquam prorsus novi Lucianus videtur adiecisse, immo exaggerasse tantum et cumulatiore tamquam mensura reddidisse quae apud comicos tradita invenerat. Ex eodem fonte fluxisse puto, quod per complura capp.[109]) normam quandam vivendi mortalibusque utendi Timonem sibi fecit constituentem. Ex rhetorum autem noviciorum declamationibus in huius libri compositione Lucianum nonnulla hausisse, Fritzschius non improbabiliter quidem coniecit, quoniam hi quoque vel „ψόγους" vel „ἐγκώμια" de eo habere soliti sunt; sed testimoniorum fide id non confirmavit.

Sic a veteris comoediae poëtis Lucianus singulas cogitationes et personarum descriptiones, quin etiam scenarum particulas repetivit repetitasque in suum usum transvertit. Tota autem argumentorum genera ad veteris comoediae similitudinem non effinxit, effinxit ad mediae et novae exempla. Frequentissime enim Antiphanes, Alexis, Eubulus fabulas suas denominaverant a scortis; quarum comoediarum indicem invenias ap. Mein. in hist. crit. p. 279. In affinibus autem huic generi argumentis novae quoque comoediae poëtae versati erant;

---

[105]) cf. edit. Lehm. p. 351 sqq.

[106]) cf. proleg. ad vol. III p. 1, comment. de Luc. Tim.

[107]) cf. Lysist. v. 812 sqq., Av. v. 1547; Plat. ap. Plut. in vit. Anton. in Mein. edit. II. p. 691; Antiph. ap. Mein. III p. 118.

[108]) cf. Luc. Tim. c. 1—6, c. 34.

[109]) cf. capp. 42—45.

quamquam hi saepius, ut ex Plauto discimus, amatoriarum comoediarum argumenta ab Atticarum civium amoribus duxerant.

Ac recte quidem Ziegelerus in diss. p. 28 monet, hac in parte caute esse iudicandum, quoniam mediae comoediae nihil ad nos pervenerit, nisi fragmenta lacera ac dispersa; verum tamen multa in meretriciis Luciani dialogis ad eorum poëtarum exempla cum probabilitate quadam referenda videntur; quae colligere sane non inutile est. Ab horum igitur exemplis Lucianus pependit primum in eligendis nominibus, deinde in moribus meretricum universe describendis, denique in eo, ut personas quasdam, quae in illorum fabulis partes agere solebant, in suis quoque dialogis describeret ac singulas ex illorum fabulis scenas suo more retractaret.

Jam videamus de consensu nominum. In Luc. dial. IV. et VIII. primas colloquendi partes agunt Melissa et Chrysis; iisdem autem nominibus meretrices Athenaeo teste[110]) peculiaribus in comoediis descripserat Antiphanes. Porro in Menandri „Eunucho" Chrysis meretricula in scenam prodiit, eadem, quam mutato nomine Terentius in suum „Eunuchum" receperat. In III. autem meretr. dialogo comoedia Axionici Luciano observata esse credi potest; cuius quidem apud Athenaeum[111]) laudatur Philinna. Lesenae quoque nomen, quod diffamatae meretrici Atticae Machonem comicum indidisse Athenaeus testis est,[112]) apud Lucianum exstat in dial. V. Bacchis vero et Hymnis meretriculae ex Menandri „Disexapatonte" et „Hymnide" in Luciani diall. IV. et XIII. transiisse videntur eodem modo, atque in I. huius dialogum transiit Thais ex homonyma comoedia Menandrea. Etenim plerasque eius generis fabulas Luciani aetate superstites fuisse suspicor ex Athenaeo, qui in XIII. Deipnosoph. lib. ingentem vel continuorum versuum multitudinem ex illis excerpsit.

At totum hoc argumentum positum in consensu nominum meretriciorum, cum extrinsecus, ut ita dicam, petitum sit, haud ita multum ponderis habet. Explorandum est igitur, num in moribus meretricum describendis apud Lucianum comicorum vestigia agnoscantur. Ac profecto speciosam illam meretricum nequitiae imaginem, quam Menander proposuerat, cum in Thaide diceret:[113])

---

[110]) cf. Athen. Deipnosoph. l. VI. 172 c.
[111]) ibid. l. X. 442 a.
[112]) ibid. l. XIII 577 c.
[113]) cf. Mein. IV p. 131.

„ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ'ἀεί."

eam Lucianus quoque quam clarissime in dialogis suis exprimere studuit. Donorum enim aviditatem, qua illas maxime infames fuisse nemo comicus festivius dixit, quam Anaxilas in „Neottide",[114]) ubi Phryne voracior increpatur Charybdi, Lucianus non minus acerbe notavit in dial. VI. Ibi enim Crobyle mater Corinnae vixdum adultae quasi praedicit, pretiosis vestibus et pedisequorum comitatu eam semper delectatum iri, si ipsum concubitum lucri faciat. Menandreum autem illud „αἰτεῖν πυκνά" Musario meretrici a matre demandatur in Luc. dial. VII., ubi in ipsis impudentis matris verbis quodam modo agnoscitur id, quod maxime scortorum proprium esse, Alexis dixerat in „Isostasio",[115]) scilicet illud:

„πρῶτα μὲν γὰρ πρὸς τὸ κέρδος καὶ τὸ συλᾶν τοὺς πέλας
πάντα τἄλλ' αὐταῖς πάρεργα γίγνεται, ῥάπτουσι δέ
πᾶσιν ἐπιβουλάς" et q. s.

Illiberalis autem animi exemplum Myrtale praebet in dial. mer. XIV., quae cum amatoris opes consumpserit, fastidiose eum habet, maligne praetendens, quae ab eo acceperit dona, ea vilia fuisse neque ullius pretii. Certe nullum amatorem constanti amore sese prosequi ipsa fatetur, confirmans quodammodo, quod de perfecta meretrice Menander dixerat: „μηδενὸς ἐρῶσα προσποιουμένη δ'ἀεί". Denique ne „τὸ ἀποκλέιειν" quidem, quod meretricum proprium esse idem poëta pronuntiaverat, a Luciano neglectum est; qui quidem in XII. dial. Pythiam quandam inducit Joessae suadentem, ut semel vel compluriens amatores excludat et lentitudine simulata exstinctam amoris flammam resuscitet.

Hoc igitur modo eandem meretricum nequitiae imaginem Lucianus adumbravit, quam poëtae comici. Quamquam id libenter concedo, multa hoc in genere ab eo fortasse sumpta esse ex vita quotidiana; certe quae*) de meretricibus Lucianeis protuli referre non licet ad solam comicorum imitationem. Contra in singulis persequendis nonnulla inveni, quibus luculenter demonstrari possit, de industria illarum comoediarum argumenta Lucianum imitando expressisse. Ut miram argumenti aequabilitatem cognoscent, qui cum Menandri

[114]) cf. Athen. l. XIII 558b.
[115]) cf. Mein. III. p. 422.
*) supple: huc usque.

„Ῥαπιζομένης“ fragmentis[116]) Luc. dial. XV. comparabunt. Illa enim ad contumeliosam citharistriae alicuius eiectionem spectant; in hoc Dinomachus miles, propter alienum amorem sollicitus, cum sociorum ferocium turba priorem amasiam oppressisse narratur. Quam postquam cum alio amatore ludentem deprehendit, gravi ira incensus et rusticum illum rivalem turpiter verberibus afflictat et Parthenidis tibicinae ad cantandum locatae instrumenta musica frangit, ipsam foede „ῥαπίσας“. In XIII. autem dial. id „ἦθος κωμικόν“[117]) Lucianus descripsit, quod maxime a comicis poëtis frequentatum erat, dico „ἀλαζόνων“. Ibi enim Leontichus miles coram Hymnide scorto gloriabundus narrat quae in proeliis et certaminibus singularibus praeclare gesserit, et Chenidas parasitus assentando et laudando quod dominus iactabundus excogitavit confirmat atque auget. Quem Luciani dialogum conferatis velim cum colloquio in Plauti „Milite glorioso“ inter Pyrgopolinicem et Artotrogum facto.[118]) Nec fortuito factum puto, ut in IX. mer. dial. miles ille iratus et graviter rivali suo et ipsi meretrici minatus ab hoc scriptore vocaretur Polemo; videtur enim Lucianus eius Polemonis memoriam quasi renovasse, qui in Menandri[119]) „Περικειρομένῃ“ puellae capillos detondet, qua poena nihil habebatur ignominiosius. Similiter ex Menandri imitatione manavit id, quod in append. ad Mil. glor. Lorenzius subtiliter observavit. Nam in huius poëtae „Μισουμένῃ“ ut Libanius tradit,[120]) Thrasonides miles iactabundus nimis stolidis futilibusque gloriationibus vel in amasiae contemptionem inciderat;[121]) eundem in modum in XIII. Luc. dial. Hymnis meretricula amatorem respuit, quia nimius fuerat in iactando.

Aliud argumentorum genus, quod Lucianus a comoedia quasi hereditate accepit, est id, quod versatur in **parasitis et adulatoribus** illudendis. Cum enim eum libellum hic scriptor componeret, in quo parasitus ille cum Tychiade collocutus et sophistarum ratiocinatione usus demonstrare studet, parasitorum muneri artis nomen non minus deberi, quam architectonicae et musicae, multa Lucianus sumpsisse videtur ex fabulis comicorum. Summa autem huius dialogi ea est, ut parasitorum artis praestantia laudibus efferatur; ipsi autem eorum

propo-

[116]) cf. Mein. IV p. 197.

[117]) J. Bernays: Ergänz. zu Aristot. Poetik, zuerst publicirt im Mus. Rhenan. vol. VIII. p. 561—96.

[118]) cf. ap. Fleckeisen. v. 1—78.

[119]) cf. Mein. IV. p. 186.

[120]) cf. orat. XXXI. p. 701 et Mein. IV. p. 168.

[121]) cf. capp. 1—4 incl.

mores obiter tantum et quasi in transcursu describuntur. Itaque non plane idem consilium Lucianus secutus est atque poëtae comici; qui quidem, ex quo parasiti et nomen et personam inter Athenienses primus adhibuit Alexis,[122]) luxuriaverant in parasitorum moribus describendis, continuas autem huius officii et muneris laudes fabulis suis non intexuerant. Quamquam Lucianus, cum novam hanc artem festive quasi nobilitaret, multifariam comicorum vestigiis institit. In universum, enim Lucianeus parasitus non cum illis homunculis conferendus est qui nihil curantes, nisi corporis voluptates et obsonandi delicias, a veteribus comicis sive „κόλακες" sive „δαιταλεῖς" dicebantur, a Luciano ipso „δαιτυμόνες";[123]) sed urbanitate quadam perpolitus est ita, ut simillimus videatur iis parasitis, qui in Terentii comoediis describuntur, lingua prompti et admirabili astutia insignes. Talem autem parasiti personam diffinxerant Menander et alii novae comoediae poëtae; atque ab horum exemplis Lucianum pependisse contendam. Neque enim, ut singula persequar, fortuito factum videtur, ut parasiti munus excusans et defendens Diphilus[124]) provocaret ad auctoritatem Euripidis, quippe qui alicubi dixerit:

„νικᾷ τε χρεία μ' ἡ ταλαίπωρός τέ μου-γαστήρ,"

Lucianus provocaret ad ipsum Homerum.[125])

Eadem fere sententiarum necessitudo exstat inter Lucianei parasiti argumentationem et eius, qui apud Diodorum Sinopensem[126]) sic exorsus:

„βούλομαι δεῖξαι σαφῶς
ὡς σεμνόν ἐστι τοῦτο καὶ νενομισμένον
καὶ τῶν θεῶν εὕρημα, τὰς δ' ἄλλας τέχνας
οὐδεὶς θεῶν κατέδειξεν, ἀλλ' ἄνδρες σοφοί.
τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος,
ὁ τῶν θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως."

et artem dixit parasiti officium et huius artis originem traxit ab Jove. Similiter enim Lucianus in c. 23 hanc artem non „σεμνήν" tantum vocavit, sed „βασιλικωτάτην", initia autem eius duxit ab heroibus Homericis, Nestore, Patroclo, aliis.[127])

Interdum autem ipsa Luciani verba cum comici alicuius sententia

[122]) cf. Athen. VI. c. 28.
[123]) cf. Luc. de Paras. c. 10.
[124]) cf. Mein. IV. p. 402 sq.
[125]) cf. Odyss. l. IX v. 5 sqq.
[126]) cf. Athen. l. VI 239 b.
[127]) cf. Luc. dial. c. 44—46.

congruunt. Ut Antiphanes[128]) in comoedia „Δίδυμοι“ parasitorum securitatem et affectuum vacuitatem his versibus illustraverat:

„κάστιν φίλος γενναῖος ἀσφαλὴς θ' ἅμα,
οὐ μάχιμος, οὐ πάροξυς, οὐχὶ βάσκανος,
ὀργὴν ἐνεγκεῖν ἀγαθός ἂν σκώπτῃς, γελᾷ“ et q. s.

Quibus a verbis non magnopere discrepant, quae de parasiti animo Lucianus tradidit in c. 53: „ὅ γε μὴν παράσιτος ἔξωθεν τούτων ἐστιν ἁπάντων (sc. παθῶν): οὔτε γὰρ ὀργίζεται ..... καὶ εἰ ἀγαναχτήσειε δέ ποτε, ἡ ὀργὴ αὐτοῦ χαλεπὸν μὲν οὐδὲ σκυθρωπὸν οὐδὲν ἀπεργάζεται, μᾶλλον δὲ γέλωτα καὶ εὐφραίνει τοὺς ξυνόντας et q. s.

Fortasse eo quoque loco, quo securam parasiti condicionem hisce verbis descripsit:[129]) „καὶ πάντα ἔχει, ὥστε καὶ φάγοι καὶ πίοι· μόνος οὗτος ὑπὸ μηδενὸς ἐνοχλοῦντος“ Lucianus in memoria tenuit versus quosdam Menandreos, quos ex huius poëtae „Colace“ Terentius sic in „Eunuchum“ suum transtulit:[130]) „omnia habeo, neque quidquam habeo: nil quom est, nihil defit tamen“.

Quamquam huic verborum aequabilitati non nimium tribuerim; in comparationem autem eam vocasse sane non supervacaneum est. Sed iam ad aliud transeo.

Persaepe enim Luciano irridendi ausam praebuerunt adulatores; quos alio modo describebat atque parasitos.

Quamquam enim, ut ait Athenaeus,[131]) non longe distat adulator a nomine parasiti, consulto tamen Lucianus ab hac persona humanitate et urbanitate quadam nobilitata segregasse videtur vile illud genus assentatorum. qui ad humillimas blanditias descendunt neque quidquam diligunt, nisi divitum epulas et convivia.[132]) Quorum in descriptione nonnulla apud Lucianum ex comoediis manasse, personarum delectus nominumque consensus subindicat. Namque et Demeas, quo nomine non sine gravissima causa Lucianus in Tim. c. 49 rhetorem significavit in blandiendi artificiis maxime versatum, inter diffamatos parasitos ab Alexide relatus est,[133]) et Laches ille adsentator, quem cum Gniphone et Blepsia in Tim. c. 58 Lucianus congregavit, adulatoris vicibus functus est in „Hypobolimaeo“ Crobyli.[134]) Item Phidonis

[128]) cf. Athen. l. VI p. 237 f.
[129]) cf. Luc. dial. c. 12 in fin.
[130]) cf. ap. Fleckeis. v. 243.
[131]) cf. VI 248 d.
[132]) cf. Tim. capp. 47—57.
[133]) cf. Athen. l. VI 244 c.
[134]) cf. Athen. IX 365 c.

adulatoris persona, quae commemoratur in V. Mort. dial., ut Athenaeus[135]) docet, ex comoedia nota erat. Atque hos potissimum adulatores Lucianeos Alciphro ante oculos habuisse videtur, cum in III. epist. lib. epulatores parasitosque induceret his nominibus insignitos: „Λειχοπίναξ," „Τραπεζολείκτης", Χυτρολείκτης".

Peculiare autem adulatorum genus Lucianus in Mort. diall. illustravit, dico eorum, qui senum filiis orborum gratiam ambirent hereditatemque aucuparentur. Tales in dial. VI. VII. VIII. depinguntur Terpsion, Callidemides, Cnemo. Quos omnes ita satiricus hic scriptor irrisit, ut facete omni opera amissa prius abripi faceret, quam eos, quorum opes avide captarent. Hac quoque in re fortasse comicorum exempla imitatus est; quamquam propter fragmentorum tenuitatem dispicere id non licet. Illud autem monuisse non superfluum sit, Cnemonis nomen, etsi comoedia non detritum esset, exstare tamen uno loco apud Menandrum[136]).

IV. Restat, ut de iis cavillandi rationibus verba faciam, quas a comicis Lucianus repetiisse videatur. Quae, ut satis perspiciantur, proficiscendum est ab iis, quae de Luciano sive Photius ipse iudicavit, sive is, quem secutus est auctor in cod. 128 p. 96: „ἀνεγνώσθη καὶ Λουκιανοῦ ὑπὲρ Φαλάριδος καὶ νεκρικοὶ καὶ ἑταιρικοὶ διάλογοι διάφοροι καὶ ἕτεροι διαφόρων ὑποθέσεων λόγοι, ἐν οἷς σχεδὸν ἅπασι τὰ Ἑλλήνων κωμῳδεῖ, τήν τε τῆς θεοπλαστίας αὐτῶν πλάνην καὶ μωρίαν καὶ τὴν εἰς ἀσέλγειαν ἄσχετον ὁρμὴν καὶ ἀκρασίαν καὶ τῶν ποιητῶν αὐτῶν τὰς τερατώδεις δόξας καὶ ἀναπλασίας καὶ τὸν ἐντεῦθεν πλάνον τῆς πολιτείας καὶ τοῦ ἄλλου βίου τὴν ἀνώμαλον περιφοράν, καὶ περιπτώσεις καὶ τῶν φιλοσόφων αὐτῶν τὸ φιλόκομπον ἦθος καὶ μηδὲν ἄλλο πλὴν ὑποκρίσεως καὶ κενῶν δοξασμάτων μεστὸν καὶ ἁπλῶς, ὡς ἔφημεν, κωμῳδία τῶν Ἑλλήνων ἐστὶν αὐτῷ ἡ σπουδὴ ἐν λόγῳ πεζῷ." Quinque igitur vellicandi genera auctor ille discernit. Quorum primum pertinet ad perversam Luciani aequalium consuetudinem, cui inservientes novos deos quasi fingebant et externos cultus undecunque recipiebant. Secundo genere Luciani irrisio significatur conversa in vitia inter aequales maxime divulgata, luxuriam dico et incontinentiam. Tertium cavillationis Lucianeae genus, ut ille iudicat, in veterum poëtarum fabulis et mythis deridendis positum est. Quartum spectat ad perversas reipublicae gerendae rationes, quas huic scriptori ludibrio fuisse apud Photium traditum invenitur; quintum denique versatur in perstringendis philosophorum et pravitate morum et disserendi argutiis. Atque in universum vellicandi genera

---

[135]) ibid. VI 223a.

[136]) cf. Coherob. Bekk. p. 1290 (ap. Mein. vol. IV. p. 322).

in Luciani scriptis conspicua recte ille adumbravit; sed non omnia satis distincte exposuit nec perspicue. Etenim quaenam vitia subintellexit, cum diceret, comicorum more illum perstrinxisse „τοῦ ἄλλου βίου τὴν ἀνώμαλον περιφορὰν καὶ περιπτώσεις"? Certe his verbis reliquas aequalium perversitates, et vitia significare voluit; quae nominatim afferre longum ei visum est. Quare aptius mea quidem opinione haec verba apud Photium post singula illa vitia collocata essent, quibus natura erat cognatissima. Qua transpositione sane id efficitur, ut ante positis iis vitiis, quae generaliter aequalium pravitatem declarant, commode iungantur Luciani irrisiones in poëtas, in homines rem publicam capessentes, in philosophos. Id autem non dispicio, quid sibi velint verba „καὶ τὸν ἐντεῦθεν πλάνον τῆς πολιτείας". Quid enim hoc ad Lucianum? qui circumspecte semper de reipublicae gubernatoribus locutus sit, et ipse, cum senesceret, in Aegypto, Romanorum provincia, forense aliquod munus administraverit. Si enim recte intellego, quae ipse tradit in l. pro merc. cond. c. 12, mandatum ei erat, ut in tabulas publicas iudicum sententias referret ipsisque iudiciis praeesset. Praetera aliud in illius auctoris verbis desidero. Nullo enim verbo is attigit Luciani parodias. Nec vero a me impetrare possum, ut existimem, inter eorum dialogorum numerum, quos praeter Phalaridem recitatos ille tradit et quorum de argumentis ipse disserit, non fuisse, qui parodias exhiberent. Cui opinioni ipsa eius verba refragantur, quae optime quadrant in Luciani libellos satiricos; ex his autem nullus parodiis plane caret.

Quamquam omnia illa, quae apud Photium enarrantur, cavillandi genera neque unius Luciani propria sunt neque ad solos comicos referenda; immo, haec a satiricis scriptoribus, Timone sillographo, Menippo, aliis maxime exculta erant. Quare singillatim de iis disserere ab hoc loco alienum est. Id autem silentio praetereundum non est, quod apud Photium iudicatur de Luciano philosophorum irrisore. Neque enim diffiteor, hoc in genere esse similitudinem quandam inter Luciani cavillationem et eam, quam mediae et novae comoediae poëtae adhibuerint. Et enim Antiphanes et Ephippus, ut docet Meinekius,[137]) mollitiam et delicatum Academicorum potissimum habitum carpserant; superciliosam suae aetatis philosophorum arrogantiam deriserant Philemon et Posidippus. Contra ipsa illorum doctrina theoreticaeque, ut ita dicam, sententiae his comicis, quod sciamus, ludibrio non fuerunt. Quod in universum dici potest etiam de Luciano. Etenim ne is quidem „δόγματα" illorum censurae severae subiecerat —

[137]) cf. hist. critic. p. 289.

si quidem praetermittitur dialogus „Ἑρμότιμος ἢ περὶ αἱρέσεων", in quo totus scepticorum partes suscipiens omnes philosophos de asini umbra certare ostendit —, sed defricuit philosophorum mores. Quod ita fecit, ut non summos illos philosophandi artifices vellicandos sibi proponeret, sed totam saturae acerbitatem collocaret in sectatoribus eorum illudendis, quos cum falsa sapientiae specie foedam vitam et animi illiberalitem obtegere studerent, ne nomine quidem philosophorum dignos iudicavit.[138]) Atque omnes philosophorum sectas pariter Lucianum cavillamentis suis obruisse, nuper nos docuit Vahlenus in ind. lectt. Berol. aest. 1882, ubi Jac. Bernaysio[139]) aliqua ex parte adversatus Cynicos non acrius ab hoc scriptore exagitari demonstrat, quam cuiusvis philosophorum scholae sectatores. Sed ne aberrem a re proposita ad id cavillandi genus accedam, quod maxime Lucianus frequentavit, dico parodias.

Quarum vis et acies cernitur in veterum poëtarum et fabulis et versibus depravata imitatione expressis.

Itaque, ut par est, initium capiam ab epicarum fabularum apud Lucianum parodiis. Quo in genere ceteros comicos praeierat Cratinus,[140]) qui in „Ὀδυσσεῦσι", ut Platonius dicit p. 35, „διασυρμὸν τῆς Ὀδυσσείας Ὁμήρου" tradidit. Cuius vestigiis institit Aristophanes, qui facete et „τὰ Κυκλώπεια" aliqua ex parte in „Vespis"[141]) in suum usum converterat et cosmogonias ab antiquis poëtis fictas depravata imitatione reddidit in „Avibus".[142]) Sed maiorem, quam veteris comoediae poëtae, laudem in mythicis argumentis parodice, ut ita dicam, tractatis adepti erant Antiphanes, Anaxandrides, Araros, Eubulus, Alexis. Hi enim multis in comoediis[143]) id potissimum sibi proposuerant, ut mythos ab epicis poëtis simpliciter fictos, a tragicis splendide magnificeque exornatos, qui tum maxima ex parte sancti et intacti durabant, utpote ineptos et aequalium intellegentia indignos, in ridiculum verterent. Hac in re Lucianus eorum exempla imitatus est; qui cum comicarum parodiarum lepore coniunxit satiricorum acerbitatem. Certe mansuetudine, qua illi in mythis traducendis videntur esse usi, magis magisque abiecta ubicunque incredibiles veterum narratiunculas deridebat, cum fide poëtarum addubitanda[144]) fabellas

138) cf. Tim. c. 54 sq.
139) cf. J. Bernays: de Luciano et Cynicis, Berol. 1879.
140) cf. Mein. fragm. vol. II p. 93 sqq.
141) in Mein. edit v. 179 sqq.
142) ibid. vol. II. Av. 690 sqq.
143) cf. hist. crit. p. 278 sq.
144) cf. Luc. Philops. c. 3. Jup. trag. c. 39.

de diis, de Orco, de inferis fictas percenseret neque quidquam magis ridiculum esse monstraret, quam „τὴν πᾶσαν ἐν Ἅιδου τραγῳδίαν“.[145]) Animadversione autem dignum est, quod plerumque ea argumenta mythologica Lucianus retractanda sibi eligebat, quae ab aliquo mediae comoediae poëta antea tractata essent. Ut fabellam de Adonide a Venere et Proserpina amato multo ante Lucianum[146]) peculiaribus in comoediis tractaverant Antiphanes, Araros, Philiscus; quarum fabularum nihil nisi tituli ad nos pervenerunt. Similiter Ius fabella, quae Platonicae alicui comoediae materiam praebuerat, a Luciano retractata est in III. deor. dial. Eodem modo „Ixion“ laudatur Eubuli, „Ganymedes“ Antiphanis et Eubuli; quas fabulas Luciano obversatas esse, cum V. et VII. deor. dial. componeret, coniectando divinare licet.

Dixerit quispiam, cum in aliis deorum dialogis, velut in XVII, XX, XXV, Lucianus argumenta a solis epicis narrata retractaverit, eorum quoque, quos attuli, unice referenda esse ad imitationem epicorum. Quae sententia recto talo stare nequit. Primum enim per se credibile non est, casu accidisse, ut argumenta illa mythologica a Luciano tractata maiore ex parte eadem essent, quae apud mediae comoediae poëtas. Deinde aliud hac in quaestione respiciendum est. Maxime enim memorabiles inter eas fabulas, quarum mythologicum erat argumentum, apud illos poëtas eae fuerunt, quibus a deorum dearumve natalibus nomina imposita erant. Eadem autem argumenta quattuor in dialogis Lucianus tractavit, Hermippum secutus, cum Minervae ortum,[147]) Polyzelum, cum Bacchi natales describeret, ignotum aliquem comicum, cum in X. deor. dial. de Hercule per tres noctes genito iocaretur. Talia argumenta, quae primo, quod sciamus, ab Hermippo, veteris comoediae poëta, tractata erant, multo tamen magis mediae comoediae scriptorum propria fuisse, abunde docent exempla a Meinekio in hist. crit. p. 279 allata. Quare minime dubitaverim, XXII. Luciani dialogum, in quo Pan a Mercurio sese oriundum esse gloriatur, ad imitationem Ararotis comoediae referre, quae inscripta erat „Πανὸς γοναί“. Quae res eo probabilior videtur, quod ipsa Mercurii verba in c. 1. levi mutatione facta ad integrum trimetrum sic coeunt: „ἦ ποὺ ποτ' ἔλαθον αἶγα μοιχεύσας ἐγώ“;

Sed non epicorum tantum fabulas mediae comoediae auctores ad

---

[145]) cf. Philops. c. 2.
[146]) cf. deor. dial. XI.
[147]) cf. Deor. dial. VIII.

parodias deflexerant, verum etiam tragicorum.[148]) Quo in genere maxime inclaruerunt Alexis et Antiphanes, quorum ille mythologica tragicorum argumenta tractaverat in „Atalanta", „Helena", „Septem adversus Thebas", „Hesiona"; hic in „Aeolo", „Alcestide", „Bacchis", aliis comoediis Euripideas potissimum fabulas ad imitationem vocaverat.

Hanc ipsam comicorum illorum rationem Lucianus adoptavit in retractando Aeschyli „Prometheo". Id quidem non constat, utrum in hoc quoque argumento satirice tractato comicus aliquis Luciano praecesserit nec ne; alterum autem apertum est, ad similitudinem eorum argumentorum, quae ex Antiphane et Alexide attuli, hunc dialogum ab eo esse confictum. Aptissime sane cum Lucianei libelli argumento id comparatur, quod Alexis tractaverat in comoedia „Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας". Inveniuntur autem Aeschyleae imitationis vestigia apud Lucianum maxime in personis et in libelli fine. Etenim apud hunc quoque Mercurius et Vulcanus cum vincto Titane colloquentes inducuntur, ex quibus ille gravissima crimina similiter in Prometheum confert,[149]) atque in Aeschyleae fabulae v. 943 sqq. Nec minus Vulcanus in Luc. dial. infeste in Titanem se gerit,[150]) quem deum, quamvis infelicis Jovis adversarii misereat, apud Aeschylum quoque increpantem videmus hisce verbis:[151]) „ἀεί τε δὴ νηλὴς σὺ καὶ θράσους πλέως". Similitudo igitur inter illius poëtae et Luciani sententias luculenta est. Attamen parodiae natura ab hoc ipso scriptore indicatur maxime in libelli fine. Namque ut in fabula Aeschylea Prometheus a Mercurii opprobriis se defendit iniuriamque sibi inferri queritur, sic in Luc. lib. Titan Caucasi saxo affixus dei illius crimina utpote iniusta et futilia non infeliciter reicit atque adeo Jovem criminatur, ut non ipse, sed deorum rex atroci supplicio dignus videatur.

Haec fere habui, quae apud Lucianum in argumentis „παρωδικῶς" tractatis referam ad mediae potissimum comoediae imitationem. Novae enim comoediae scriptores mythologica argumenta parum frequentaverant, ut ab his Lucianus pependisse non videatur. Quod autem Euphro comicus fabulam scripserat titulo „θεῶν ἀγορά" insignitam,[152]) in qua Homericas deorum contiones perstrinxisse videtur, recte iudicabimus, si propter ipsam argumenti naturam mediae comoe-

---

[148]) cf. Deor. dial. IX.
[149]) cf. Luc. dial. c. 5.
[150]) ibid. c. 6.
[151]) cf. edit. Kirchh. v. 92.
[152]) cf. Mein. fragm. vol. IV. p. 491.

diae eam accensebimus. Ad hanc fabulam, cum suam „θεῶν ἐκκλεσίαν" componeret, Lucianum magis respexisse, quam ad Homeri „θεῶν ἀγοράς", id confidenter pronuntiare non audeam.

Venio nunc ad id, quod latissime apud Lucianum patet, parodiarum genus, — positum in versibus poëtarum depravata imitatione expressis. Atque in hac ipsa imitandi parte Lucianus comicorum artificium et festivitatem aequiparavit. Ita autem poëtarum versus ad ridiculum deflectere solebat, ut aut variorum versuum particulas undecunque depromptas libere misceret ceterum ipsis illorum verbis sine ulla mutatione servatis, aut pauca verba consulto commutans eos versiculos quamvis leviuscula mutatione in ridiculum detorqueret.

Utriusque parodiarum generis exempla apud Aristophanem inveniuntur; quae diligenter collecta sunt ab H. Taeubero[153]) et W. Ribbeckio.[154]) At diversitatis aliquid hac in parte inter Luciani rationem intercedit et Aristophanis. Hic enim scenicae magis poëseos versus detorquendos sibi elegit, ille epicae. Cuius modi exemplorum ex ingenti copia pauca afferre sufficiat. Ut apud Aristophanem Homerici versus pars agnoscitur in Equit. v. 200:

„κοιλιοπώλησιν δὲ θεὸς μέγα κῦδος ὀπάζει."

Qui versiculus festive compositus est ex vocabulo κοιλιοπώλης ab hoc poëta invento et ex verbis Homericis, quae leguntur in Il. l. VIII. v. 141: „νῦν μὲν γὰρ τούτῳ Κρονίδης Ζεὺς κῦδος ὀπάζει." Porro Hieroclis verba in Pac. v. 1073:

„οὔπω θέσφατον ἦν, Εἰρήνης δέσμ' ἀναλῦσαι"

iam a Ribbeckio p. 21 apte comparantur cum versu Homerico in Il. l. VIII. v. 477: „ὣς γὰρ θέσφατόν ἐστι" et q. s.

Simillimum est illud Lucianeum, quod in Char. c. 14 de Polycrate dicitur: „νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, βασιλεὺς δέ τις εὔχεται εἶναι." Haec enim verba ex variis Homeri versibus[155]) commixta sunt. Notissimum autem versum Homericum: „ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων" in suum usum et Aristophanes vocavit Vesp. 652., ubi Bdelycleo: „ἀτὰρ, ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη" et Lucianus in Jov. trag. initio, Quo loco Minerva Jovem sic alloquitur:

---

[153]) cf. Herm. Taeuber: de usu parodiae apud Aristoph. Berol. 1845.

[154]) cf. W. Ribbeck: de usu parodiae apud comicos Athenienses, Berol. 1861, Programm des kölnischen Gymnasiums.

[155]) cf. Hom. Odys. l. I. v. 50, ibid. V. v. 450.

„Ναὶ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων,
γουνοῦμαί σε, θεὰ γλαυκῶπις, τριτογένεια,
ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἰδομεν ἤδη,
τίς μῆτις δάκνει σε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἦ τί βαρὺ στενάχεις ὤχρός τε σου εἶλε παρειάς;"

Hi omnes versus ex variis Homeri partibus a Luciano quasi consuti sunt.[156])

Magis autem, ut supra dixi, tragicorum versuum eius generis parodias Aristophanes frequentavit; cuius ex comoediis Taeuberus complures collegit p. 19.[157]) — Lucianea, quae huc spectent, eiusdem generis exempla nulla inveni. Is enim tragicorum versus aut consulto mutatos in scripta sua recipiebat — id quod infra docebitur — aut pedestri oratione, aeque atque epicorum et comicorum quosdam versiculos, apte circumscribebat. Singulas autem tragicorum versuum partes hic scriptor nusquam commiscuit.

Contra saepissime alteram illam parodiarum rationem Lucianus amplexus est, ut levi verborum mutatione facta ipsas versuum sententias ad ridiculum deflecteret. Quo in genere quam insignis fuerit Aristophanes, multa exempla docent a Ribbeckio collecta.[158]) Quo ex numero unum repeto a „Lysistrata". Ibi enim in v. 538 notissimum illud Hectoris sic refingitur: „πόλεμος δὲ γυναιξὶ μελήσει". Novae autem et mediae comoediae poëtae hoc parodiarum genere minus delectati esse videntur; apud hos enim eiusmodi imitationes rarissimae sunt.[159]) Quare in hoc quoque genere Lucianus prorsus a veteris comoediae auctoribus pependisse credendus est. Ex sexcentis huius scriptoris exemplis pauca afferre satis erit. In Icarom. c. 28. Menippus requiescendi desiderio sese captum esse narrans haec dicit:

„ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἄνερες ἱπποκορυσταὶ
εὗδον παννύχιοι, ἐμὲ δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος".

Quo loco in parodiam versos esse Il. verss. in l. II. initio apertum est. Alterum eiusmodi exemplum repperi in Char. c. 8., ubi portitor, cum Milonem Crotoniaten, immanis corporis luctatorem, conspicit, ex Mercurio quaerit:

„τίς γὰρ δδ' ἐστι πάχιστος ἀνὴρ ἠὺς τε μέγας τε,
ἔξοχος ἀνθρώπων κεφαλὴν καὶ εὐρέας ὤμους;"

---

156) cf. Odys. l. I. v. 45. Il. I. v. 363, ibid. III. v. 35.
157) cf. Nub. v. 1156—66, Vesp. 306 sqq.
158) cf. p. 4 sq.
159) cf. Ribb. p. 19.

Parodiam igitur habemus „τειχοσκοπίας“ versuum, qui leguntur in Il. l. III. inde a. v. 226. Tertium exemplum addo ex Jov. trag. c. 34. Ibi enim Juppiter coram diis pronuntiat, orando id agendum esse, ut Stoicus ille deorum partes ab Epicureo adversario defendens superior discedat, et hisce verbis superos admonet: „εὐχώμεθα ὑπὲρ αὐτοῦ — σιγῇ ἐφ' ἡμείων, ἵνα μὴ Δάμις γε πύθηται“.

Quo loco facile agnoscuntur Aiacis verba singulare cum Hectore certamen sortiti: „τόφρ' ὑμεῖς εὔχεσθε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι — σιγῇ ἐφ' ἡμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται“. Alia exempla, etsi possum proferre plura,[160]) hoc loco praetereo.

Quae adhuc attuli Luciani exempla pertinent ad epicorum versuum imitationes depravatas. Reliquum est, ut de tragicorum quoque versibus a Luciano in parodiam detortis breviter exponam. In hoc quoque genere ceteros Aristophanes praecierat; qui Euripidis potissimum versiculos ita in comoedias transferebat, ut in aliam sententiam leviter inflexi videantur. Velut in Acharn. v. 893 sq. „μηδὲ γὰρ θανών ποτε — σοῦ χωρὶς εἶην ἐν τετευτλιδωμένης“ Dicaeopolis lepide traducit nobilem illum „Alcestidis“ locum, quo Admetus defunctae coniugis desiderium hisce verbis exprimit;[161])

„μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἶην τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί“.

Lucianea exempla, quae eodem pertinent, haec mihi in promptu sunt: In Vitar. auct. c. 9 Diogenes dicit:

„ἡ φρήν σοι ἀλγήσει, ἡ δὲ γλῶσσα ἔσται ἀναλγητος“.

Quae verba nihil aliud exhibent, nisi Euripideae sententiae imitationem, quae legitur in Hippol. v. 612:

„ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος“.

Alterum exemplum exstat in Necyom. c. 1, ubi Menippus:

„νεότης μ' ἐπῆρε καὶ θράσος τοῦ νοῦ πλέον“.

Quae verba ex Eurip. Andromed. deprompta esse supra dixi.[162]) Liquet autem ad parodiam efficiendam pro σθένος, quo vocabulo poëta ille usus erat, consilio Lucianum substituisse illud „θράσος“.

His epicorum et tragicorum versuum parodiis maxime in Luciani libris cognatae sunt imitationes et vaticiniorum et formularum forensium contionaliumque. Quas singillatim nunc tractari oportet.

---

[160]) cf. Luc. Char. c. 22, Jup. trag. c. 6 etc.

[161]) cf. Nauck. edit. v. 367 sq.

[162]) cf. p. 53, infra.

„Peregrinum" et „Alexandrum" et ex „Mort. diall." XXVIII. (Μενίππου καὶ Τειρεσίου) qui pervolvent, id scriptorem his in libellis sibi proposuisse cognoscent, ut vaticinia et sortes ab oraculorum antistitibus edita quocumque modo in ridiculum verteret. Qua in re ei antecessit Aristophanes, quippe qui in Equit. v. 1004 sqq. Paphlagonem vaticinia Bacidis, Glanidis, fratris eius clarioris, sortes allantopolam ad populo persuadendum in lucem protrahentes induxerit. Atque ad Bacidem auctorem cum sortem de Peregrini morte deque ceterorum Cynicorum condicione editam referret,[163]) sine dubio Lucianus Aristophanem imitatus est. Etenim, ut sortium a Paphlagone prolatarum praestantiam allantopola superare studet Glanidis oraculis, ita Sibyllae vaticinium a Theagene protractum eo, quod ipse finxit, Lucianus quasi obscurare et deminuere voluit.

Simili in argumento versata videtur esse utraque comoedia „Τροφώνιος", una ab Alexide, altera a Menandro composita; quarum fabularum argumenta, quod reconcinnari hac aetate nequeunt, valde dolendum est. Certe in eundem Trophonium, vatem celeberrimum, scriptae erant, [cui in III „Mort. dial." Menippus divinos honores abrogavit. Neque ineptum sit conicere, his comoediis sortes easque ficticias intextas fuisse similiter, atque ei Luciani libro, qui totus in vaticinatorum et vociferatorum insolentiam fallaciasque compositus est, „Alexandro". Ut autem appareat, quo modo Lucianus comicorum more oraculorum obscuritatem illuserit, duas sortes ab eo fictas afferam; primum eam, quam mendax ille pseudomantis divina origine simulata de se ipso Paphlagonibus edidit:

„Περσείδης γενεήν, Φοίβῳ φίλος οὗτος ὁρᾶται,
δῖος Ἀλέξανδρος, Ποδαλειρίου αἷμα λελογχώς";

deinde illam, qua Sibylla ipsa vaticinata esse fertur, summum prope Sinopen vatem esse oriturum:

„εὐξείνου πόντοιο παρ' ἠόσιν ἄγχι Σινώπης,
ἔσται τις κατὰ Τύρσιν ὑπ' Ἀὐσονίοισι προφήτης".

Sed alia exempla afferre longum est. Permultis enim huius libelli itemque Jovis tragoedi capp. Lucianus vaticinia obscura et festive excogitata inseruit.[164])

Simili ratione usus iudiciales formulas et forensia vocabula hic scriptor ea lege in dialogos suos recipiebat, ut totum non modo forensem, sed etiam contiones habendi usum transferret sive ad

---

[163]) cf. de Peregr. mort. c. 30.

[164]) cf Alex. capp. 18, 24, 25, 27, 29, 33, 36, 40, Jup. trag. c. 31 etc.

deorum sive ad inferorum commercium et consuetudinem. Qua ratione id effectum est, ut ipsae illae formulae plerumque leviter a scriptore variatae in ridiculum detorquerentur. Sufficiat duo exempla attulisse. In Catapl. c. 18. Micyllus sic Charonti minatur: „ἀμέλει γράψομαί σε παρανόμων ἐπὶ τοῦ Ῥαδαμάνθυος"; in Necyom. c. 2 Menippus inferorum arcana in vulgus efferre veritus dicit: „οὐ θέμις ἐκφέρειν αὐτὰ πρὸς ἅπαντας ..... μὴ καί τις ἡμᾶς γράψηται γραφὴν ἀσεβείας ἐπὶ τοῦ Ῥαδαμάνθυος". Hac quoque in re Luciano facem praetulit Aristophanes, qui saepius eiusmodi formulas in suum usum converteret. Ut in Pac. v. 108 Trygaeus sic loquitur: „γράψομαι — Μήδοισιν αὐτὸν (sc. τὸν Δία) προδιδόναι τὴν Ἑλλάδα".[163])

Multo autem frequentius contionalem usum Lucianus depravata imitatione expressit; cuius rationis exempla insunt in „Necyomantia", in „Deorum concilio", in „Timone", in „Piscatore". Ut in eius dialogi, quem postremo loco dixi, c. 40 Syllogismus philosophos tamquam ad rationem reddendam convocat hisce verbis usus: „ἄκουε, σίγα· τοὺς φιλοσόφους ἥκειν ἐς ἀκρόπολιν ἀπολογησομένους ἐπὶ τῆς Ἀρετῆς καὶ Φιλοσοφίας καὶ Δίκης". Quo praeconio cum ille nihil assecutus sit, Parrhesiades ipse hoc modo caute appropinquantes allicit. „ἄκουε, σίγα· ὅσοι φιλόσοφοι εἶναι λέγουσι καὶ ὅσοι προσήκειν αὐτοῖς οἴονται τοῦ ὀνόματος ἥκειν, ἐς ἀκρόπολιν ἐπὶ τὴν διανομήν". Similiter in Deor. conc. Mercurius praeconis munere functus superorum concionem sic instituit: „ἄκουε; σίγα· τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν τελείων θεῶν"; in eiusdem libelli fine id, quod quasi legem Momus tulerat, scilicet deos non omni ex parte genuinos e superorum coetu esse eiciendos, plebisciti more his formulis sollemnibus pronuntiatur: „Ἀγαθῇ τύχῃ· Ἐκκλησίας ἐννόμου ἀγομένης ἑβδόμῃ ἱσταμένου ὁ Ζεὺς ἐπρυτάνευε καὶ προήδρευε Ποσειδῶν, ἐπεστάτει Ἀπόλλων, ἐγραμμάτευε Μῶμος Νυκτὸς καὶ ὁ Ὕπνος τὴν γνώμην εἶπε· ἐπειδὴ . . . . . δεδόχθω τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ ξυλλεγῆναι μὲν ἐκκλησίαν ἐν Ὀλύμπῳ περὶ τροπὰς χειμερινάς, ἑλέσθαι δὲ ἐπιγνώμονας τελείους θεοὺς ἑπτά etc. Atque hoc loco Luciano observatam esse verisimile est notam illam contionandi usus parodiam, quae exstat in Aristoph. Thesmoph. inde a v. 372, ubi sic praeco exorditur:

„ἄκουε πᾶς· ἔδοξε τῇ βουλῇ ταδὶ
τῇ τῶν γυναικῶν· Τιμόχλει ἐπεστάτει,
Λύσιλλ' ἐγραμμάτευεν, εἶπε Σωστράτη
ἐκκλησίαν ποιεῖν ἔωθεν τῇ μέσῃ
τῶν θεσμοφορίων" et q. s.

[163]) cf. W. Ribbeck: Zeitschr. f. deutsch. Gymnasw., Jahrg. XVII. p. 321 sqq.

Nec minus apte illud Mercurii: „τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν τελείων θεῶν“ [166]) et cum Thesmoph. v. 379.*) et cum praeconis verbis in Acharn. v. 45. contionem sic instituentis: „τίς ἀγορεύειν βούλεται“; Utroque enim loco usitatum illud praeconium in ridiculum vertitur: „τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων καὶ πάλιν ἐν μέρει τῶν ἄλλων Ἀθηναίων“; [167]) Id quoque plebiscitum, quod in „Timonis“ c. 50. sq. Demeas, blandiloquus ille rhetor, adfert, quamvis a solito contionum usu longe abhorreat, [168]) ita a Luciano compósitum videtur, ut de industria sollemnes illae formulae ad parodias deflecterentur. Quod non intellexisse miror Cobetum, qui vir doctus in Var. lectt. p. 43. hoc adnotaverit: „Mirificum sane ψήφισμα, quod Lucianus in Tim. c. 59 expromit, ut eum unquam talibus historicis et oratoribus legendis operam dedisse suspiceris“. Etenim id non perspicio, quo modo Cobetum effugere potuerit Luciani irrisio in iudiciales formulas et contionalem sermonem conversa. Sed aliud eiusdem generis exemplum ex Luciano afferre operae pretium est. In „Necyom.“ enim c. 20., postquam plebiscitum illud in divites factum recitatum esse narravit, scriptor haecce verba addit: „τούτου ἀναγνωσθέντος τοῦ ψηφίσματος ἐψήφισαν μὲν αἱ ἀρχαί, ἐπεχειροτόνησε δὲ ὁ πλῆθος καὶ ἐβριμήσατο ἡ Βριμὼ καὶ ὠλάκτησεν ὁ Κέρβερος· οὕτω γὰρ ἐντελῆ γίγνεται καὶ κύρια τὰ ἐγνωσμένα“ (sc. ἐν Ἅιδου).

Sed ne terminos huiusmodi disputatiunculis concessos transgrediar, finem opusculo meo imponam paucis comprehendens eorum, quae protuli, summam. Nonnulla quidem fortasse me latuerunt neque in singulis partibus ubique iudicium ita proferre audebam, ut pro certo adfirmarem, quod quoque loco comicorum exemplum Lucianus imitatus esset. Haec autem mihi videor satis demonstrasse:

I. Non clarissimos solum poëtas comicos, quos ipse vel nominavit vel significationibus quibusdam denotavit, Eupolin dico, Aristophanem, Alexin, Philemonem, Menandrum, sed etiam alios eosque mediae comoediae scriptores, ut Antiphanem, Eubulum, Ararotem — id quod Fritzschius addubitaverat — Lucianus et cognitos habuit et imitando expressit.

II. Ad singula imitandi genera quod attinet, Lucianus in vocabulorum usu et formis, in locutionibus et sententiis, in versuum pa-

---

[166]) cf. Deor. conc. c. 1.

*) supple: comparatur

[167]) cf. Aesch. c. Ctesiph. § 4. c. Tim. § 23.

[168]) cf. Luc. verb.: καὶ τῇ Ἡλιαίᾳ — sc. δεδόχθω— κατὰ φυλὰς καὶ τοῖς δήμοις ἰδίᾳ καὶ κοινῇ etc.

rodiis veteris comoediae potissimum et novae comoediae poëtas imitandos sibi proposuit. Hac in disputatiunculae parte

a) Cobeti sententiam de Luciani sermone et graecitate prolatam refutavi.

b) Locutiones et sententias, quas ab Aristophane hic scriptor repetiit, collegi ab aliis non allatas.

c) Demonstrare conatus sum, Lucianum in „Rhet. praec.“, in „Icarom.“ in „Necyom.“ compositione lepidissima quaeque effinxisse ad Aristophanis exemplum, in „Timone“ Phrynichi quoque et Antiphanis fabulas ante oculos habuisse. Contra in Deor. et Meretr. diall. et in lib. de Paras. ita personas descriptas esse ostendi, ut dubitari nequeat, quin singulae scenae ex mediae comoediae poëtarum fabulis Luciano obversatae sint.

d) Versuum parodias prorsus ad Aristophanis exempla, fabularum depravatas imitationes ad mediae comoediae poëtarum similitudinem ab hoc scriptore conformatas esse docui.

III. Non omnes imitationes Lucianeae ad unum vel certum comicorum exemplum referri possunt; sed propter fragmentorum, quae ex media et nova comoedia exstant, tenuitatem haud pauca in medio relinquenda sunt. Quaecunque autem aliqua cum probabilitate ex illis reliquiis cum Luciano comparatis enucleari possunt, ea collegisse mihi videor.

Quodsi opusculo meo paullulum literis profuisse harum rerum peritis visus ero, summum laboris ac studii fructum inde percipiam. —

Sententiae controversae.

I. In Lucian. Alex. c. 47 verba: καθαίρον ὡς ἀληθῶς (sc. Ἐπικούρου βιβλίον) τὰς γνώμας οὐχ ὁπὸ δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ καὶ ταῖς τοιαύταις φλυαρίαις, ἀλλὰ λόγῳ ὀρθῷ et q. s. sana esse nego. Maxime mihi arridet emendatio a Bekkero proposita: οὐχὶ δᾳδί et q. s.

II. Suas leges in consecutivis et finalibus particulis adhibendis Lucianus sibi constituit.

III. 'Δημώναχτος βίος' qui inscribitur libellus aut cum Bernaysio pseudolucianeis adnumerandus, aut longioribus interpolationibus depravatus esse credendus est.

IV. In vocabulis fingendis Lucianus haud raro pendet ab exemplo Platonis.

V. Romanorum poëtas non ita Lucianum cognitos habuisse contendo, ut singulos eorum versus imitando expressisse putandus sit.

VI. In XVI. Horat. epod. verss. 61 et 62:

„nulla nocent pecori contagia, nullius astri
gregem aestuosa torret impotentia."

quo manuscriptis collocati sunt loco, censeo removendos. Apte interponuntur post v. 52.

VII. In Prop. l. III. eleg. XI. verss. qui vulgo leguntur post v. 66:

„nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli
aut modo Pompeia Bospora capta manu?"

a Lachmanno in edit. an. 1816 recte et emendatos (Bospore capte) et (post v. 46) transpositos esse contendo.

Vita.

Natus sum Paulus Schulze a. d. VI. Id. Jul. an. h. s. LIX Dessaviae patre Theodoro, matre Francisca, quos adhuc superstites esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium frequentavi Dessaviense, quod rectore tum H. Brockio, viro in disciplinis philologicis subtiliter versato eodemque philosopho, valde florebat. Qui vir, quem praematura morte abreptum esse cum multis doleo, una cum patre professorium munus tum in gymnasio gerente ad veteres scriptores diligenter tractandos animum meum excitavit. Maturitatis testimonium adeptus in academicorum civium numerum relatus sum Lipsiae mense Aprili an. h. s. LXXIX. Ibi, ut philologicis studiis operam navarem, per ter sex menses horum virorum doctorum scholis affui: Braunii, Kahnis, G. Curtii, Drobischii, L. Langii, Lipsii, de Noordeni, Overbeckii, Ribeckii, Voigtii, Windischii, Zilleri. Inde ad absolvenda studia cum autumno an. h. s. LXXX Berolinum transmigrassem per quinquies sex menses hos viros clarissimos audivi: E. Curtium, Dillmannum, Hübnerum, Kirchhoffium, Koserum, Lommatzschium, Lotzium, Müllenhoffium, Paulsenum, Robertum, Schererum, Seekium, Vahlenum, Zellerum. Praeterea Hübnerus, Kirchhoffius, Vahlenus ad philologicas, Müllenhoffius et Schererus ad theodiscas, Paulsenus et Zellerus ad philosophicas exercitationes benigne aditum mihi permiserunt. Quibus viris doctissimis multum semper debebo, prae ceteris autem gratias ago Aemilio Hübnero, cuius societati philologicae per quater sex menses adscriptus eram. Huius enim professoris opera et beneficio studia mea magnopere aucta et sublevata esse libenter confiteor.

Berliner Buchdruckerei-Actien-Gesellschaft
Setzerlehrlings-Schule des Lette-Vereins.



Quae ratio intercedat inter Lucianu
Widener Library 002691722
3 2044 085 138 006